

# (unknown project)

## Actius

### Table of contents

- 1. P. SUMMONTII EPISTULA P. SUMMONTIUS FRANCISCO PUDERICO PATRICIO NEAPOLITANO S. D.
- 3. EX LIBRO EPIGRAMMATUM ACTII SYNCERI:
- 4. IOANNIS IOVIANI PONTANI DIALOGUS QUI ACTIUS INSCRIBITUR

[Page 123]

## 1. P. SUMMONTII EPISTULA P. SUMMONTIUS FRANCISCO PUDERICO PATRICIO NEAPOLITANO S. D.

### 2.

Persuasit mihi auctoritas tua, Francisco Puderice, ut Pontani  
Actium secunda hac excusione potissimum ederem, rarum sane  
de numeris poeticis et lego historice dialogum. Nam cum illius opera  
tam multa sint et ea aequa egregia omnia, hinc mihi hoc, hinc  
illud edendum prius occurrebat, fiebatque ut difficilis redderetur  
electio propter pulchritudinis paritatem. Sed, cum postea tecum  
sentire Suardinum Suardum Pontani nostri familiarissimum audirem,  
currentem quasi me doctus vir et gravis incitavit. Quam quidem  
sententiam eo libentius secutus sum quod, cum superiori foetura  
carmina praecesserint, exornandi postea et carminis ratio quae hoc  
volumine traditur subsequi debeat; digna profecto investigatio, quae  
ad communem hominum utilitatem quam primum omnibus nota  
esset. Non enim ab aliquo fortasse grammatico de re poetica deque  
historica disputatur, sed ab illo praecepit Ioviano Pontano, cuius  
quidem in utroque genere post tot annorum depravationem nova  
quaedam admirandaque appetit felicitas, ut non iniuria saepe a  
te illud usurpatum sit, coepisse eum, ut de Christo Optimo Maximo  
dicitur, et facere pariter et docere. Nec vero mihi dubium est quin  
iucundum tibi futurum sit officium meum. Nam praeterquam quod  
Actii Syncori loquens persona, a quo opus hoc denominatur, non  
parum te pro veteri amicitia delectabit, tuae quoque hic tibi sunt  
partes, nec res ipsa tota de qua agitur non in primis ad te pertinet,  
cum poeticae concinnitatis, cuius maxime ferax est Pontana Academia,  
semper ipse et studiosus observator fueris et censor acerrimus

[Page 124]

vixque summis, ut ita dixerim, naribus, adeo omni de carmine  
exacte iudices, ut merito te omnes emunctae naris hominem,  
ut ait Horatius, appellant. Par in historiis censura est tua, quarum  
tenacissimam in te videmus memoriam et gravitatem simul  
in te tantam, modo refellendis fabulosis, modo veris comprobandis  
comparandisque scriptoribus ipsis, nemo est nostrum qui non admiretur.  
Quo fit ut omni e parte iucunda tibique maxime propria  
haec sit prorsus lectio futura. Tuum igitur tibi Actium habe libroque  
hoc et Synceri ipsius optato e Gallis reditu, quod facis, magis  
magisque laetare. Nam ut omittam summam eius in Pontani  
scripta pietatem, quae post illius obitum sopita ac neglecta e tenebrie  
primus in lucem tum Francisci Aelii consilio tum opera usus  
mea revocavit, advexit nuper ex Heduorum usque finibus atque  
e Turonibus dona quaedam mirum in modum placitura literatis  
viris, Martialis, Ausonii et Solini codices, novae atque incognitae  
emendations tamquam a nostris diversos, ut hos certo ac legitimo

partu natos, reliquos vero liceat spurios existimare. Praetereo epigrammata,  
quaes tam multa hic leguntur, alibi hactenus non visa.  
Imo Solini liber hic auctore ab ipso, quod iam titulus indicat, nec  
eius negat vetustas, et recognitus est et editus. Is etiam ad nos attulit  
Ovidii fragmentum De piscibus, Grattii poetae Cynegeticon,  
cuius meminit Ovidius ultima de Ponto elegia, Cynegeticon item  
Aurelii Nemesiani, qui floruit sub Numeriano Imperatore, et Rutilii  
Namatiani Elegos, quorum tenuitatem et elegantiam e seculo illo  
agnoscas Claudi. Atque haec quidem omnia statim post Pontani  
libros emittentur. Nonne applaudendum iure fuit redeundi Actio  
nostro, valuti nove rei literariae Camillo? nonne gestanda et illi  
ob cives servatos merito querua? Adde exquisitissima Acti ipsius,  
quibus iunior lusit, partim lyricalia, partim elegiaca nostro etiam charactere  
propediem excudenda cumque his novas illas piscatorio  
genere Eclogas, denique divinum de Christo opus, cui summam  
nunc imponere decrevit manum; ut post nescio quos Sedulios et  
Prudentios, in quibus pene nihil praeter nudam religionem invenias,  
Marones tandem Christianos habeamus. Quocirca triste Pontani  
desiderium Actii nostri vita pensemus, ac laetemur potius benigno  
agi fato cum patria nostra, cui nunquam fare Pontanus aliquis  
videatur defuturus. Illius itaque nomine illustrati tantoquo  
instituti magistro congratulemur nobis, cuius praeter aeterna librorum  
monumenta ea quoque fuerint in literis, dum visit, exempla, ea

[Page 125]

consilia, ea doctrinae communicatio, ut per facilem aliis eo pervenienti  
viam ostenderit, quo sine aliquo duce felix ipse pervenit.  
O praestantis ingenii et doctrinae virum! O de temporibus nostris  
optime meritum et per quem non invidemus antiquitati! Clamantem  
te non temere toties audivi, Puderice, ut qui ab Errico patre  
ad eum puer deductus eoque semper familiarissime usus probe hominem  
nosses: «Aspice vivum hunc, amici, dum licet; huius,  
dum licet, aspectu exaturate oculos; non multos dabitur intueri  
Pontanos». Quam verum tuum illud iudicium fuit! Etenim eius  
ingenium penitus qui perspicit iure illum optimo alteram quasi  
naturam appellabit, quippe, ut alia taceam, in describendis informandisque  
rebus ita illum vides quodcumque proponit absolvere, ita  
perficere undique, ut nihil tanquam integro torpori singulisve membris  
deesse dicas. Quod si comparatio sit de eo facienda, multos,  
qui opponendi tanto viro fortasse videantur, cultos illos quidem  
et elegantes, aridos tandem invenias ac steriles. Hunc vero in summe  
cultu splendoreque huberrimum, foecundissimum, nulla in re  
non profluentem suspicias, hunc natura ab ipsa raro exemplo creatura  
existimes, quique ingenii magnitudine nulli omnino cesserit  
antiquorum. Hinc tentandi omnia Pontani illa felix audacia. Genus  
autem dicendi, in quo maximo aetas nostra decipitur, ita ad antiquorum  
imitationem effinxit, ut nihil te in eo peregrinum offendat,  
nihil conquisitum, utque ipse dicere solebat, violatum, sed unumquodque  
plane Romanum videatur. Quod magis ridenda censeo quorundam  
iudicia de tanto viro parum pie loquentium, qui hoc ipso  
nullius se omnino iudicii arguunt, quod lovianam sublimitatem  
non cognoverunt. Verum ut ad editionis huius rationem redeam  
(illius enim laudes qui enumeret?), non omiserim hoc loco id quod  
in eiusdem quoque carminibus feci quodque tu mecum saepius egisti,  
omnes qui haec legent admonere prius, et per loviani manes  
obtestari, ut, habita praemortui ratione, aequos se in his iudices  
praebeant, quae cum nonnullis aliis nostra posthac opera edendis  
nondum ab illo fuerint emendata. Sed quid ego nunc exorare quemquam  
hac in parte studiosius labore, cum Pontanus, ut spero,  
ipse per se satis omnino sit unicuique superque facturus? Quod  
vero ad me attinet, qui huius rei curam tam libenter suscipiam, non  
verebor, quod gravissimus vir Actius Syncerus iam pridem de me  
scripsit, epistolae huic carmen subnectere. An placere mihi dissimulaverim  
pietatis erga amicos nomine probari? Liceat itaque mihi  
non immeritam fortasse mercedem hanc exigere laboris mei; Vale.

[Page 126]

### **3. EX LIBRO EPIGRAMMATUM ACTII SYNCERI:**

Excitat obstrictas tumulis Summontius umbras,  
Impleat ut sanctae munus amicitiae,  
Utque prius vivos sic et post fata sodales  
Observat, tristes et sedet ante rogos.  
Nec tantum violas cincri ac bene, olentia ponit  
Serta, sed et lacrimis irrigat ossa pii.  
Parva loquor, cultis reparat monumenta libellis,  
Cum possint longam saxa timere diem.  
At tu, vivaci quae fulcis nomina fama,  
Poscenti gratas, Musa, repende vices,  
Ut quoniam dulces optat sic vivere, amicos,  
Vivat et in libris sit sacer ille meis.

[Page 127]

### **4. IOANNIS IOVIANI PONTANI DIALOGUS QUI ACTIUS INSCRIBITUR**

CAEPIUS ET SEGNITIUS ET ACTIUS COLLOQUUNTUR.

CAEP. «Pascutius Caulita, Pasculi Caulitae filius, Sarnensis, sarcularius, cum Pignatia Nigella, quae viro suo nunc hic adest, et suo et uxoris nomine, vendit Segnitio Funestillo, Acerrano viatori, qui ipsus emit sibi, liberis, nepotibus, pronepotibus abnepotibusque suis cum omni posteritate domunculam».

SEGN. Adde illud: et anteritate; utraque enim parte, anteriore ac posteriore, domus constat.

CAEP. Cautē agito, mi Caulita; ea domuncula.

SEGN. Mater eius Macronilla non domunculam, sed democulam verbo suo nominabat; quo enim die Sueratus, Pasculi pater, in illam ab harula demigravit cum familia et sue, oculum male auspicato ingressus amisit.

CAEP. Scite, caute, averuncate ammones; pergam: «Sita est Sarnensi in suburbio secundum flumen».

SEGN. Atqui proverbio cavetur secundum flumen emundum non esse.

CAEP. Rivum volui, non flumen dicere; evincet tamen illam tibi cum omni quoque posteritate Pascutius.

SEGN. Et anteritate quoque memor uti fuas facito.

CAEP. «Tribules ac vicinos bonos habet, Pilutium Rufillum».

SEGN. Grex mihi suillus venum si daretur, pilus hic nequaquam placet.

[Page 128]

CAEP. Senex est et cassus iam sanguine institutusque illi est haeres Hordeatus Panicocta et quidem bene auspicata successio; pergam: «Cocleatum quoque Surripomen».

SEGN. Quid? (malum!) istud est et nominis et cognominis? quasi cochlea bonam anni partem domi inclusus succo se suo pascat, mox prodiens rapto ac surrepto vivat. Apage a me vicinos tam male nominatos!

CAEP. Hoc vide, Segniti, quod nec tibi nec patri tuo Funestillo nomen satis bene ominatum est. Audibis reliquum: «Itemque Lardatium Fabaronem, probum virum, agricolam bene unctum abundeque triticatum». Neque tibi verendum est illud, vicini ne moires fame atque inopia impulsu tuam in crumeram nocturni irrepant. «Proba est domuncula tota, proba contignatio, probus paries, tectum ipsum probe canteriatum, asserulatumque, quernis etiam scandalis Averunconis fabri; proba cisterna, sine ullo stillicidii vitio aut latrinae servitute, fundamenta bene iacta, volutabrum lutulentum, in quo viciniae totius sordes desideant, harula ad solem medidianum exposita firmiterque quaternata».

Age igitur, argentum e vestigio dinumera Deo cum  
bono et illud vide, confestim eo uxori uti traducatur; est enim domus  
ipsa foecunda cupioque mirandum in modum egnatum iri ex  
te quam primum qui et cognato nomine et pascendi gregis solertia  
patrem tuum Sueranum referat Funestillum. Unicabis itaque praepropere  
digitulatimque pecuniam, unciolae tres pretium est.

SEGN. Duillabo illas potius; binatim enim quam singulatim e  
vestigio magis numerabitur pretitum.

CAEP. Tu, Pascuti, acceperis argentum omne et numeratum et  
perpensum probe. Tibe vero, Segniti, ea domuncula solenni more est  
a Pascutio evincenda.

SEGN. Ab ipsis etiam fundamentis tota, cum tecto, asseribus,  
canteriis, claviculis, scalis, foribus, culinae volutabrique decursibus.  
Quid enim? si quispiam aedificandum inferius superiusve curaverit,  
tentaveritne, quid? inquam, evinci mihi summum etiam coelum  
et ipsum terrarum soli profundum volo caveoque.

CAEP. Haud iniuria, hoc ipsum ego. «Pascutius Caulita,

[Page 129]

Pasculli Caulitae filius, domunculam ipsam  
evicturum spondet ab infimo solo ad usque  
coeli subsellium, cum ipso etiam coelo cumque  
terrae imis ac perimis infernisque, Segnitio  
Funestillo, Acerrano viatori, eiusque  
posteritati».

SEGN. Tute et viatorem interrogato et illud caveto, anteritatis  
bene memor uti sies, et item furni, qui est sinistrum ad latus,  
triangulum enim domicilium ipsum est, punctionis quoque diurnae  
nocturnaeque, hamariae ac retiariae.

CAEP. «Sistet autem in omni foro et causa,  
festis profestisque, fastis nefastisquo diebus,  
Segnitioque ac Segnitii posteris evincet, adversarios  
vero vinciet. Pro quo praestando  
praedia supelectilemque suam et cum ea bacem,  
cofinos, riscum ac rete triplumbatum obligat  
seque staturum in praetorio ad iudicem».

Tu, Pascuti, fuste illum investito, tu, Segniti, fustem ipsum manu  
capito. Haecce uti vera sunt, sciens volensque suaequa spontis  
atque ex convento utque inter bonos decet uterque agitis meque  
ut scribam rogatis iureque iurando cuncta haec confirmatis verbis  
conceptis, quae ego praereo. Dice tu, Segniti: «Per Pedianum  
Deum, qui noctu primus iter ivit primusque  
cauponam est cauponatus»; sequare tu, Pascuti: «per  
et Verronem, quem pastores colimus, primus  
sues maiales qui fecit primusque et fabam  
torruit et glandem deglubivit». Haecce acta sicce  
sunt. «Testes assunt de more acciti rogatique  
viri utique probi Actius Syncerus Sannazarius,  
Franciscus Pudericus, Ioannes Pardus,  
Gabriel Altilius, Petrus Compater, Paulus  
Prassicius, Suardinus Suardus, Franciscus Poetus,  
Petrus Summontius. Haecce sicce convenere  
hisce verbis, hisce conditionibus, acta  
et transacta sunt hosce inter, assentiente  
uxore Pignatia, ut par est viros inter bonos  
bene agier». Memores actorum estote, perindo uti ab utroque  
ad haec ipsa arcessiti et rogati estis: vobis enim arbitris ita testabor  
actum. «Cal. Quintilibus, praetore Gallo».

[Page 130]

ACT. Atqui, o bone Caepari, ut nostrum tibi omnium nomine respondeam,  
negocium profecto rebus tuis maximum maximeque periculosum  
comparasti a sacerdotibus, dum in illorum iura irrumpis,  
contemptis ac despactis legibus, iure deorum prorsus adempto.  
An ignoras sacerdotibus dumtaxat ut deum ministris licere fasque  
esse venale coelum facere iisdemque etiam solis de intimis terrae locis  
permissum esse agere, quippe cum in eorum manu sit oblegare  
quos voluerint ad inferna loca? Qua igitur lege scitove decretove  
senatusve consulto de coelo stipulatus fueris deque infernis locis  
etiam atque etiam vide. Nos abimus bene conventorum memores.  
ACTIUS SYNCERUS, PAULUS, PARDUS, COMPATER, PUDERICUS,

SUMMONTIUS, ALTIUS.

ACT. Divi boni, vestrum ego utrumque, Petre ac Paule, appello,  
quoniam, quo abit gentium Christianae religionis tanta illa simplicitas?  
Locorum ubi delituit summa ac peculiaris Christianorum innocentia  
atque integritas? Audet scrofarius pastor in emunda casula  
coelestem illam Dei sedem evinci sibi depositare praetoriumque  
ipsum humanarum actionum ac divinae iustitiae, non timet rusticanus  
notarius scripto etiam testatum hoc posteritati relinquero!  
Taedet me pudetque temporibus his, tempestate tam corrupta editum  
luceque impurissima oculos contaminasse nascentem. Iure igitur  
quotidieque magis etiam ac magis desiderio angor Ferrandi  
lanuarii eiusque oratio me vehementius in dies commovet, quam  
ille paucis antequam e vita decederet diebus apud se mecum habuit,  
cum adesset una Franciscus his Pudericus, quem videtis. Cum enim  
ab Innocentio Octavo Pontifica Maximo abas creatus nuper esset Ferrandus  
paucisque ante diebus e Roma Pontificisque e conspectu Neapolim  
in patriam regressus, in eo sermone qui tum de religione est ab  
eo habitus, exorsus ipse a primis illis pontificibus tum provincialibus  
tum Romanis. Divi boni, Divi, inquam, boni, quam multa, quam  
etiam memoriter de illorum simplicitate, paupertate, innocentia rerumque  
humanarum contemptu et retulit et disputavit! Ac ne videretur  
veterum illorum patrum exemplis tantum solaque antiquitatis  
auctoritate inniti, plurima de Francisco, de Dominico deque  
illorum sectatoribus qui tum quoque viverent summa etiam cum  
admiratione audientium ita disseruit, uti qui aderant commiseratione  
omnes horum temporum in lacrimas verterentur. Nam et Ferrandus

[Page 131]

appime disertus erat et indignationis maior ipsa vis commiseratioque  
indignationi haud indecenter coniuncta verba quidem  
ipsa mirificamque illam verborum affluentiam ad dolorem lacrimasque  
commovendas huberrime excitatissimeque subministrabant,  
non minore cum animorum qui aderamus nostrorum commotione  
quam eius ipsius qui disserebat affectu. Qui si conventioni  
huic paganorum affuisset hominum venundarie audisset coelum,  
an putatis, quod Cicero etiam indignanter facit, sola sum illa exclamatio  
fuisse contentum «o tempora o mores»? Christum ipsum  
ab aula illa, mihi credite, evocasset imprecationibus et manes illos  
poeticos vociferatu eruisset heiulationeque ab inferis. Sed cum illo  
bene actum quis non videt, cum eiusmodi praesertim procella paulo  
post eius obitum ab Alpibus proruperit, quae et Italiam universam  
concusserit et regnum hoc Neapolitanum exhauserit populis spoliaveritque  
fortunis, excisis funditus aut incendio vastatis tot urbibus?  
Itaque cum illo bene actum iam fuerit; desiderio certe consuetudinis  
orationisque eius viri afficior quotidie magis afficiarque quandiu  
ipse vixero.

PAUL. E nostro omnium vultu intelligere vel facile quidem,  
Syncere, potes, quam iucunda nobis fuerit Ferrandi recordatio.  
Quantum autem, quam etiam valide fixa insideat mentibus nostris  
illius memoria, consuetudo quidem tam suavis eius nullique non  
civium ac peregrinorum qui illum noverant probata, docere te oppido  
abunde potest. Ut autem sermo de veterum patrum castimonia  
et fide a te tantopere laudatus desiderium in nobis eius renovat,  
de me ipse ut loquar, non minus fortasse etiam afficit et  
pene dixerim confirmationis simul atque admirationis magis ac  
magis implet oraculum illud tibi ab eo in somnis editum; quod mihi  
quanquam Puderico ab hoc fideliter recitatum, audire tamen ex te  
ipso coram vel mirifice aveo, cum ad animae immortalitem confirmandum  
vel mirandum in modum conferat; etsi de ea ita persuasum  
Christianii habemus omnes, ut illorum qui diem obierunt  
animas sua quandoque reddituras in corpora nosque item ipsos, ubi  
e vita hac discesserimus, statuto quodam tempore resumpturos  
nobis illa et teneamus et promittamus.

ACT. Memoratu quidem digna res est audituque iucunda e me,  
Paule, quam requiris, explicatu tamen difficilis. Multa enim somniantes  
cernimus quae plane referri qualia visa ipsa sunt nequeant,  
ut figurae quaedam neque ipsae visae alias neque satis per se explicabiles,  
tum novitate tum complicatione sua; studebo tamen

[Page 132]

desiderio eorumque qui hic assunt omnium quique mihi idem hoc

innuunt tuoque praesertim, Paule, satisfacere.

Illud tamen vobis cognitum vestrosque apud animos testatum  
volo, qua nocte oraculum, ut ipse appellas, est editum, nullas ea  
qua noctem antecessit die cogitationes a me initas susceptasve de  
animae immortalitate, nullas de reversione eius ad corpora, nullum  
quam plurimis ante diebus aut sermonem iis de rebus cum doctis  
viris habitum aut apud me ipsum modo esse aliquo dubitatum.  
Liber utique curis ab omnibus atque ab iis potissimum cognitionibus  
vacuus, cum ipse cubuisse solito in lectulo quaeque saepenumero  
ante cubitum lectio quidam quasi animi cibus sumitur  
nulla prorsus divinis de rebus praecessisset, ubi diutius quievissem  
et iam Aurora illa loviani nostri, quae coeli postibus affixa est custos,  
solem excitasset e somno, video visus sum, quin haec loquens vi-  
dare ipse iam videor adesse mihi Ferrandum. Quaeras fortasse unde  
advenerit mortuus, qua via profectus ac tam rapente clausis foribus  
insinuatus adstiterit; nesciam, nesciam, affuit certe, qualem vivum  
et videbam pene quotidie et alloquebar congrederentem; meque statim  
desideratissime complexus cum esset, ut qui diutius non vidisset,  
vultu iucundus, risu hilaris, salutatione blandus, et osculo, ut ei-  
mos erat, sane quam familiariter petivisset, «An, inquit, consuetudinis  
me nostrae oblitum rebare amicitiaeque tam diurnae factum  
tam brevi immemorem? Redeo igitur ad te, et quidem tanquam legatione  
functus aliqua, ut vivens consueveram confecto munere,  
maximaque profecto cum voluptate ad te redeo. Reducem igitur  
ac sospitem ipse me vides atque ante expectatum tibi me et vegetum  
valentemque et amicorum tuique in primis memorem tuum  
apud cubiculum sisto». Atque his dictis blandiusculum in modum  
et surrisit et pene sullacrimatus est; quod evenire solet inter viventis,  
ubi longa e peregrinatione regressi sunt in patriam, exanclatis  
periculis reduces, quo tempore natura ipsa contrarios una  
miscere affectus consuevit et praeteritorum periculorum longiorisque  
absentiae memores et praesentis voluptatis ac laetitiae indices.  
Hoc est autem illud, Paule, vosque, amicissimi viri, hoc inquam illud  
est quod ne inumbrare quidem suis verbis, nedum figurare queam  
aut explicate oratione. Cepit eodem me punto temporis mira voluptas  
amicci iam reducis, cepit admiratio, quod mortuum iam dudum  
illum esse subiit recordatio; cepit rursum dubitatio, quia vivum  
illum cernebam et loquentem quidem et vivi hominis munus

[Page 133]

sermone, vultu affectibusque implentem: num mortuum arbitrarer,  
an potius illius mihi obitus somnianti esset visus qui re ipsa iam  
viveret? Itaque, dum ipsi inter se recesserant affectus mentisque  
in diversum abit cogitatio meque silentii longioris pudet, una et  
in hilaritatem pariter profusus sum et in lacrimas iam prorupi. Veterem  
igitur atque desideratum amicum arctius complexus ut peregre  
redeuntem, ut sospitem, nec minus etiam subveritus, quae  
somniantum est consuetudo, ne, quod haud multo post contigit,  
repente evanesceret, multa quidem proque veteri nostra consuetudine,  
paucis cum eo tamen, non minus iucunde quam pie domesticeque  
transeggi mutuoque illo mecum peramanter et grata; quodque  
Ferrandus ipse dum viveret quotidianisque in disceptationibus multa  
saepe de animae immortalitate quaerere esset solitus, subiit tempus  
esse idoneum interrogandi illius eorumne de quibus olim dubitasset  
factus asset iam certior; nec ausus ipse in primo statim orationis  
vestibulo ac veluti ex abrupto hoc ipsum exquirere, coepi prius  
sciscitari num ea quae traderentur de mortuis tam acerba, de poenarum  
magnitudine, de suppliciorum immanitate cruciatuumque  
perpetuitate vera essent, ut ea ipsa sunt prodita. Tum ille suo de  
more, ut quipiam asseverans erat dicturus, superciliis obductis  
silentioquo paulisper habito, quasi etiam praesagiret quae sciscitanda  
post a me essent: «Dicam, inquit, Syncere Acti, dicam vere,  
fatebor ingenu, asseverabo constanter, nos omnis qui e vita iam  
migravimus eo desiderio teneri, in vitam illam remigrandi quae  
animae cum corpore est communis». Atque his dictis, iisdemque  
conniventibus oculis ac superciliis, quasi abiens salutaret, discessit.  
Ego statim somno solitus sum. Habes, Paule, somnum quale meum  
illud fuerit, plenum, ut opinari te etiam video, divinitatis; ex eo  
mihi et vita haec habita est suavior, quae perfectio quasi quaedam  
animae videatur, nec mors futura est tam gravis, postquam suo  
quidem et statuto tempore membris hisce vernaculis sibique peculiaribus,  
quorum ministeriis principio ab ipso vitae societatisque est  
usa, sit iterum quoque usura corporeque in hoc, perinde atque in

domo ac patria sua, rursus etiam diversatura. Fungamur igitur eo  
libentius in hac ipsa animae corporisque societate viventes vitae  
ipsius muneribus, quodque mediis quasi quidam ex anima consistimus  
ac corpore, mediocritatem sequamur eam quae digna sit homine.  
Et quanquam degener est corpus, illud tamen ita colamus,  
uti solertes ac boni agricolae agrum, iis ferendis frugibus quorum  
anima, utque Ciceroni magis placet, animus sator est idem et cultor.

[Page 134]

Nihil civi bene instituto patria sua est carius, quoniam in ea  
honores assequitur ac titulos, remque illic familiarem cumulat, peculiumque  
omne sibi comparat. Corpus autem hoc nostrum perinde  
ut proprium illi domicilium et pene patria est; quocirca corporis  
ipsius non immemores ita quidem erimus, ut hospitium et quasi  
patriam eam animi ipsius domumque vita in hac existimantes,  
bene illud constituamus, quo animus ipse honores, magistratus muneraque  
civilia dignasque homine actiones in illo gerere eiusque  
etiam opera exercere atque administrare cum dignitate ac decore  
valeat suo, quam diu hospitio illius et tanquam patriae utetur beneficio ;  
ac posteaquam ex eo migraverit, quam diu etiam absens  
fuerit, ut, illius ipsius memor, desiderio remigrandi ad illud eo vehementius  
teneatur, quemadmodum cives boni, qui quo sua ipsorum  
patria est honoratior eo absentes maiores tenentur cupiditate in  
illam revertendi.

PAUL. Et oraculum ipsum summa a te cum fide recitatum plenum  
est divinitatis et oratio haec ipsa tua teque atque oraculo tali  
digna; de ipso autem Ferrando maior in dies futura est apud me existimatio  
existimationique coniuncta veneratio cultusque memoriae  
ac nominis tanti viri. Inter amicos vero plurimos quibus ille omnibus  
perfamiliariter utebatur, quod tui praecipue memor in sommo  
se tibi tam familiariter invisens ostenderit, et tecum gaudeo plurimum  
et tibi ex animo gratulor; neque enim mediocrem tibi excitationem  
additam video nobisque item aliis qui haec novimus excolendis  
animis, vita hac dum fruimur, quando animi ipsi tanto incenduntur  
ardore redeundi in corpora; in quibus constituti et quorum  
etiam ministeriis atque ope usi id assequentur, uti humanarum divinarumque  
rerum naturas, causas potestatesque cognitas ac perspectas  
habeant. Quid enim excellentius quam in hoc per exiguo  
tam vasti aequoris meditullio quae terra dicitur habitantem hominem  
et terras et maria et spiritum et coelum omne, tot tantosque  
stellarum orbes ac globos, tantam universi molem, rerum tantam  
infinitatem cognitioni suae subiecisse, mortalique in corpore immortalem  
subeuntem personam id curare, sciscitari, pervestigare, comprehendere,  
tandem scire quod deorum est munus proprium ac peculiare,  
ab iisque in homines translatum beneficium? Idque ita esse  
declarare multa quidem possunt, illud vero cum primis, quod dii  
quidem ipsi excellentibus quibusdam viris visi sunt fuisse praesentiores  
excellentiaeque illorum et gloriae permultum studiosi. Neque  
enim de nihilo opinio illa pervertusta de Geniis apud priscos tam

[Page 135]

constanter esset defensa et habita, nec apud nos Christianos, ne  
apud Iudeos aut Arabes quidem illos, nisi permulta eaque maxime  
obscura monstrata, perspecta, cognita, his ipsis docentibus, fuissent  
mortali generi, quae nulle audiendo ac legendo discimus.  
Ut autem praetereamus maiora quae sunt et audisti, Syncere, saepius  
et audire coram etiamnum potes ex amicissimo viro (cuius  
familiaritate ac communitate studiorum quis te ipso magis utitur,  
quanquam et nos quoque valde utimur?) non adolescentem modo  
se, sed iuvenem, sed aetate iam proiectiorem, cum saepenumero interpretandis  
veterum scriptorum libris haesitabundus non haberet  
certi quid traderet, in somnis se a Genio sub imagine veteris cuiuspiam  
nunc grammatici nunc aut poetae aut philosophi veritatis  
admonitus.  
Quod si quis haec forte contemnat, idem hic quoniam ore negaverit  
maximos quoque duces monentibus in somno diis aut maximas  
insperatasque sibi comparasse victorias aut evitasse ne victi  
ipsi essent, copiis profligatis? Ad haec non pauca etiam saepe monstrantur  
nobis inter dormendum, quorum antea cogitatio nulla praecesserit  
nihilque illa privatum ad nos ipsos resque nostras attineant  
quaequaque neque sensus ipsi versandis atque examinandis illis agitati

ante, post dormientibus offerunt nosque laccessunt etiam in quiete. Sacerdos equidem ipse sum nec a studiis quibus tantopere delectari te mirifico laetor omnino alienus; plena est historia veterum illorum patrum oraculis, plena visionibus, tum adhortantibus ad fortitudinem, ad pietatem, ad contemptum rerum humanarum, tum a vitiis deterrentibus, quibus ego confirmandis his quae dicta sunt commodissime uti possem, verum neque in hoc praesertim conventu necesse esse duco, Christiani enim cuncti sumus solamque pietatem sequimur, teque, Parde, video iam pridem pensitare quid ad haec dicturus sis; itaque te ipsum potius audiamus.

PARD. Pensitatem me, Paule Prassici, quae a te dicta non minus sunt recte quam a nobis grate accepta, subiit Aristotelicum illud, fieri quidem posse ut ob mundi ipsius conversionem, habitu aliquo inducto, quae fora sunt animantium genera, ea ut mansuescant singula; idque usuvenire in locis nonnullis, ut ob insitam bonitatem, sponte sua, nullo quidem cultu adhibito, mitiora illic nascantur quam quae alibi summo etiam studio operaque adhibita diligentiore mitescunt. In tanta igitur nascentium multitudine, tam varia etiam locorum diversitate mundique ipsius agitationibus tam continuis, iisdemque tantopere variantibus, cum natura ipsa semper ad unum aliquod suo in genere perficiendum contendat, qui mirum,

[Page 136]

etsi rarum, tamen in multis quoque seculis, oriri aliquem, cui natura, et studio cum primis suo et bonitate seminis stellarumque ipsarum, hoc est mundi ipsius beneficio et opera, omni e parte genere in illo consulat aut facultatis aut scientiae? cum nulla virtus corporis, nulla sit animi ingeniique praestantia, nullus honorum aut externorum bonorum gradus, in quo non, diversis quamvis temporibus, naturae ipsius summus ille conatus effectu ipso non sit etiam manifesto et cognitus et perspectus, pro temporum videlicet, nationum patriaeque constitutione et coeli ipsius, a quo cuncta moventur, agitatu. Abstinebo exemplis, ipsa enim res est per se quam notissima. Verum naturae ipsius opera praesertim excellentissima quaeque Deum ad ipsum referenda mihi videntur, idque si cuique nationi, genti, sectae, Christianae cum primis religioni convenire arbitror, quae virtutum omnium, earum dico quae ad animum referuntur, et fuit et est quam studiosissima. Haec habui quae pensitabundus apud vos dicerem, alias fortasse eadem hac de re commodior offeretur querendi ac disserendi locus. Quoniam autem, ut scitis, toto sum corpore ac pedibus praesertim imbecillis, considerandum hac sub Porticu censeo, de more maiorum nostrum; consideribus enim nobis ocio magis tranquillo et quaerere licuerit et disputare et qui praetereunt tum ad sedendi ociun tum ad certamen disserendi invitare honestius multo fuerit.

COMP. Ego vero, quoniam a consuetudine huiusc Porticos meoque ab instituto recessurus non sum, praesertim cum pransi hic considerimus, sequendum illud arbitror quod praestantissimi etiam viri secuti leguntur, uti levioribus de rebus deque grammaticis praecipue post accubitum dissererent, primumque cognoscere ex te, Paule, aveo, quid (malum!) quasi latinitatis oblitus paulo ante dixeris: «'plena est historia oraculis, plena visionibus'. An non puellulus eructabas Terentianum illud unum ac Ciceronianum alterum: «'plenus rimarum sum', et «'haud magna cum re, sed plenus fidei', adde et «'stultorum plena sunt omnia'.»

PAUL. Et de more, Comptate, tuo feceris et nobis non ingratum, si quanquam studiis maioribus deditus, tamen meridiani quoque temporis memor ab his ad ea nos advocaris quae cum leviora ipsa sunt tum iis etiam e studiis, quae pueris nobis prima inhaesere. Quocirca ne diutius te suspensum teneam, etsi tentabundum loqui te certo scio, dicas velim sisne et ipse oblitus Ciceronis tui scribentis ad Tironem: «noctem habui plenam timoribus ac miseriis»; et ad Atticum :

[Page 137]

«ex tuis litteris plenus sum expectatione de Pompeio, quidnam de nobis velit ut ostendat»;

et ad Plancum:

«*sub eas statim recitatae sunt tuae non sine magnis quidem clamoribus; tum rebus enim ipsis essent et studiis beneficiisque in rem publicam gratissimae, tum gravissimis verbis atque sententiae plenae».*

Qui si contentus his minime futurus es Tacitique haudquaquam meministi dicentis in dialogo De oratoribus:

«*Illud certe concedet instructum et plenum his artibus animum longe paratum ad eas exercitationes venturum»;*

item in libro Historiarum XVII:

«*Opus aggredior plenum variis casibus, atrox proeliis, discors seditionibus»;*

et paulo post:

«*magna adulteria, plenum exiliis mare»;*

et Plinii in quinto Naturalis historiae:

«*Polybius, annalium conditor, ab eo accepta classe scrutandi illius orbis gratia circumvectus, prodidit a monte eo occasum versus saltus plenos feris quas generat Africa»,*

poteris tutem revocare tibi in memoriam alia quoque Ciceronis loca, in quibus legitur:

«*plenus officio, plenum vigilantia, celeritate, diligentia».*

Poteris auctorum item aliorum meminisse, et ipsi principem inter Latinos scriptores locum optinent. Ac nihilominus quoniam in hunc sormonem volens incidisti, potes et de aliis huiusmodi sciscitari, si qua dubium tibi forte animum atque incertum faciunt.  
COMP. Bene profecto a te satisfactum arbitror, nec arcessendis opus est testibus aut comprobatoribus ubi Cicero est ipse auctor. Quo igitur incepsum prosequamur, explicari a te per velim, Parde, quinam «**maiorum nostrum**» potius quam «**nostrorum**» paulo est a te ante dictum, cum usurpatissime scriptum legatur «**maiores nostri**»?  
PARD. Nec inepte hoc ipsum a te, Compater, quaeritur, nec a me sine magnis quidem auctoribus dictum est, cum etiam a Sallustio scriptum legatur in oratione illa Lepidi:

«*Clementia et probitas vestri, Quirites, quibus per coeteras gentes maximi et clari estis»;*

tametsi scriptura ipsa, ut iam video, depravata est a litteratoribus, quod in aliis quoque compluribus animadverti, et ab illis praesertim qui nova hac scribendi ratione libros hodie imprimendos curant.

Qua in re Sallustius etiam Graecorum loquendi morem secutus videri potest; verum ne a Cicerone nostro recedamus, quid si a me ita pronuntiatum est, «**nostrum**» ut sit «**nostrorum**», ut «**sestertium, sestertiiorum**», «**numum, numorum**», ut «**duum virum, duorum virorum**», ut «**deum fidem, deorum**», ut «**praefectus fabrum, fabrorum**»;

[Page 138]

hac enim verborum contractione vetustas illa vehementer gavisa, est; namque apud eundem Ciceronem leges veteris poetae dictum: «*patris mei meum factum pudet, pro meorum factorum*»; item: «*cives antiqui amici maiorum meum*», hoc est «**meorum**». Quae quanquam oblitterata magna ipsa e parte iam sunt, tamen in paucis quibusdam e Ciceronis sententia et plenum verbum recte dicitur et imminutum usitate.

COMP. Accipio et rationem et auctoritatem videoque, quod a priscis illis longius deflexerimus, multa recentibus ab his litteratoribus magis damnari ob ignorantiam quam repudiari ob vetustatem. Oblatus est mihi diebus his libellus sane pervetus, in quo scriptum erat: «**Rhinocerontis**»; vetustis enim in codicibus dictiones has «**Rhinocerontis**» et «**Aegocerontis**» ubique invenias **n** litteram retinere, quam quidem litteram a grammatis nescio quo, quod Graecum inodoratus aliquantum esset, atramento oblitam animadvertis, videlicet quod recentiores Graeci quique Attice loquantur «**Aegoceros Aegocerotis, Rhinoceros Rhinocerotis**» enuntient. Neque tamen argutulus hic id animi pendit, quin ignorare se confessus est e Graeca fuisse olim gente, ut Siculos, Italicam nationem, ut Calabros, qui dicent «**Aegoceron**» et «**Rhinoceron**» et «**Minon**» atque huiusmodi alia, indeque esse «**Rhinocerontis**», «**Aegocerontis**» et «**Minonis**», quod Cicero etiam ipse protulit. Accepta igitur a priscis Latinis terminatio haec Sicula mansit apud nostros: nec est cur accusetur, si quis morem tot seculorum servatum a maximis auctoribus et ipse quoque servaverit, quando cognitum ac certum est Graecos quoque auctores, Siculos scilicet ac Brutios, ita esse locutos, cum etiam abunde notum sit quanta inter Graecos sit ipsos varietas et terminandorum et flectendorum nominum. Quin etiam Germanicus Arateo in carmine protulit «**Aegocerus**», ut cum ait:  
«*Et sedem Aegoceri Cythereius attigit ignis*».

Item:

«*Clara sagittiferi tetigit cum lumina signi  
Aegoceri semper coelo levis excidit himber*».

Audivi non semel et quidem persancte iurantem eruditum apprime et observantem vetustatis hominem se complures codices et Horatii et Ovidii et aliorum poetarum legisse pene vetustate ipsa cosumptos, in iisque scriptum observasse non **Clius**, sed **Clios**:

[Page 139]

non **Didus**, sed **Didos**, non **Eratus**, sed **Eratos**, quod priscis illis temporibus maiores nostri genitivis casibus Graeco more his in nominibus minime uterentur, cum qui Graece sunt **Didoos, Eratoos, Clioos** contraherent in **o** productum **Didos, Eratos, Clios**, qui casus Attice sunt **Didus, Eratus, Clius**. At nunc quis est e litteratoribus adeo compositis moribus, quin ora sinusque ipsos impudentius conspuat ubi quem aliter locutum senserit? Me ipsum maledictis quoque incessitum, nedum acrius increpitum satis quidem scio, quod **Sapho** uno, id est simplici tantum **p** ac non uti a Graecis scribitur et ipso scripsisset, nec animadvertis erudituli viri Latinam linguam post **p** statim alterum **p** non admittere, cui tamen insit aspiratio. Itaque dum Graeci nimium esse volunt, Latinum quid velit non vident. Neque enim patribus ac principibus illis Latinae locutionis cura maior fuit ulla quam ut peregrina lenirentur nomina, utque Palaemon usurpat, quam ut Latinitatem musicarent, quo voces lenius illaberentur in aures. Hinc qui Graece est ????????? factus est **Ulysses**, ????????? **Achilles**, ??? **Ajax**, ????????? **Esculapius**, ????????? **Pollux**, aliaque id genus plurima. Eo autem recordiae, ne dicam ignorantiae processum est a supinis quibusdam ingenii, ut inobservato Cicerone, ne dicam contempto,

mordicus incursum si quis ita locutus fuerit uti coniunctiones  
has **etsi** et **quanquam**, praeterquam indicativis temporibus coniunxerit,  
cum et optativis et coniunctivis modis passim coniunctas  
apud illum invenias. Audite, quaeso, aequo animo Ciceronem  
tam multis in locis non uni dumtaxat modo, hoc est indicanti, coniungentem;  
ad Atticum enim quadam in epistola:

«*Sed posteaquam  
primum Clodii absolutione levitatem infirmitatemque iudiciorum perspxi,  
deinde vidi nostros publicanos facile a senatu disiungi, quanquam  
a me ipso non divellerentur».*

Alia in epistola:

«*Rhodum volo  
puerorum causa, inde quamprimum Athena, etsi etesiae valde reflaverint».*

Ad Dolobellam quoque:

«*Quanquam, mi Dolobella, (haec  
enim iocatus sum) libentius omnis meas (si modo sunt aliquae meae)  
laudes ad te transtulerim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis».*

Ad Servium Sulpitium:

«*Accedit eo quod Varro Murena magnopere  
eius causa vult omnia, qui tamen existimavit, etsi suis litteris,  
quibus tibi Manlium commendabat, valde confideret, tamen mea*

[Page 140]

*commendatione aliquid accessionis fore*. Ad Marcum Varronem:

«*etsi quid scriberem non haberem, tamen amico ad te eunti non  
potui nihil dare».*

In primo Academicorum libro:

«*Certe enim recentissima  
quaeque sunt correcta et emendata maxime, quanquam  
Antiochi magister Philo, magnus vir, ut tu existimas, ipse negaret».*

Item:

«*tertia deinde philosophiae pars, quae erat in ratione et in disserendo  
sic tractabatur ab utrisque, quanquam oriatur a sensibus, tamen  
non esse iudicium veritatis in sensibus, mentem volebant rerum  
esse iudicem».*

Et in secundo De oratore:

«Erantque multi qui quanquam non ita se rem habere arbitrarentur, tamen quo facilius nos incenses studio dicendi a doctrina deterrent, libenter id quod dixi de illis oratoribus praedicarent».

Item:

«sese, si quam gloriam peperisse videatur, tametsi ea non sit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari»;

ad hoc Ciceronis testimonium:

«etsi aliud nullum abs te requiri certo scio».

Non praetermittam tamen quae a Sallustio, Livio Tacitoque mihi nunc in mentem veniunt; Sallustii enim verba sunt haec:

«Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quanquam possis et delicta corrigas, tamen importunum est».

Et Livii XXVI:

«Itaque quanquam omnibus omnia deberet, praecipuum muralis coronae decus esse eius qui primus murum ascendisset».

Et libro XXIX:

«Mauris inde sicuti convenerat retro ad regem remissis, quanquam aliquanto minore spe multitudinis nec unquam tantam rem aggredi satis auderet».

Taciti autem quae sequuntur:

«Non numeraverim inter Germaniae populos, quanquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos qui decumates agros exercent». Item: «vera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur et quanquam unum sequerentur, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis et causis et iudicis cognoscebant».

Tamen haec tolerabiliora; discissum dilaceratumque ab his iisdem satis scio haud indoctum hominem, quod particulam «**nedum**» ac «**ne modo**» praeponere sit in scribendo ausus, nec meminerunt Ciceronem scribentem ad Atticum nec Balbum et Oppium ad Ciceronem; eorum quidem alterum dixisse:

«Tu, quoniam quartana cares et nedum morbum removisti, sed etiam gravedinem, te vegetum nobis in Graecia siste»,

alteros vero:

«*Nendum hominum humilium, ut nos  
sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, nos  
ex voluntate a plerisque probari solent*»,

Livius quoque libro XXIX

[Page 141]

inquit:

«*Hanno nequaquam satis valido ne modo ad laccendum  
hostem, sed ne ad tuendos quidem a populationibus agros, equitatu  
accepto, id omnium primum egit, ut per inquisitionem numerum equitum  
augeret*».

Nec alienum forte fuerit Plinii quoque verba e nono  
Naturalis historiae libro adducere:

«*Lolliam Paulinam, quae fuit  
Caii principis matrona, ne serio quidem aut solenni ceremoniarum  
aliquo apparatu, sed mediocrius etiam sponsarium coena vidi smaragdis  
margaritisque opertam*».

Haec autem quanquam sunt huiusmodi, movent tamen doctos  
viro. Indignantur enim non permitti sibi maiorum auctoritate uti  
tutoque evagari per orationis latinae fines, qui latissimi quidem  
sunt. Nam etsi possunt conscientia ipsi sua contenti esse, tamen  
nescio quomodo praestantibus in ingeniosis usus venit quod in equis  
generosis, ut nolint pungi, aversentur flagella, ad scuticae sonitum  
exaestuent; namque ipsi etiam reges muscas fugitant. Evidem  
memini, quin videre quidem videor digladiantes grammaticos super  
Virgiliano versu, qui est:

«*Instar montis equum divina Palladis arte  
Aedificant*»,

dum quid **instar** significet parum intelligunt. Neque enim Ciceronem  
animadverterunt scribentem ad Atticum:

«*Mearum litterarum  
nulla est synagoge, sed habet Tiro instar septuaginta, et quidem sunt  
a te quaedam sumendae; eas ego oportet perspiciam, corrigam, tum denique  
edentur*».

Et in Oratore ad Brutum:

«*Nam invenire et iudicare  
quid dicas magna quidem illa sunt et tanquam animi instar in corpore*».

Quid? idem cum dixit Cicero ex ore Antimachi in Bruto

«*Plato  
enim mihi unus instar est omnium*»,

an sibi vult aliud quam quod

Platonis unius audientia idem valeret apud eum tantumque haberet auctoritatis quantum si universus Atheniensis populus ad audiendum convenisset intentusque recitantem spectaret quodque inventio ac iudicium in oratore idem quidem polleat quod in corpore ipso animus? Verum haec a nominis ipsius deductions aliquanto sunt remotiora, cum tamen et Cicero et Virgilius eam innuant, ut quae **instar** aut sunt aut habent, ea quasi oculis ac menti instant illisque perinde ut exemplar quoddam sint proposita. Quod fabris atque artificibus usu venit, qui propositum ad exemplar fabricantur, ad illudque opus suum dirigunt, id quod Virgilii verba p[ro]ae se ferunt dicentis equum illum Troianum aedificatum ea vastitate ut quasi

[Page 142]

vasti imago montis fuisse proposita aedificatoribus, quam et ipsi imitarentur et equus ipse illam referret; quod ipse alibi declarat, cum ait:

«*Hanc tamen immensam Calchas attollere molem  
Roboribus textis coeloque educere iussit*».

Et Cicero cum respondet Attico «*habet Tiro instar septuaginta*» an aliud significat quam quod cum ipse efflagitatarum ab illo epistolarum nullum haberet penes se exemplum, originales quidem epistolae (sic enim hodie non pauci loquuntur) quasque ipse dictasset a Tirone asservarentur quodque de exemplaribus illis utpote archetypis exemplum esset sumendum? Idem Cicero declarat hoc apertius scribens ad Varronem:

«*Equidem hos tuos Tusculanos dies instar  
esse vitae puto*»

ac si diceret:

«*vitaे genus dierum illorum quibus  
fuisti in Tusculano esse aliis vitae suaе exemplum ac specimen debere  
iudico*».

Itaque tum **exemplar** tum **exemplum** videtur **instar** significare, quod et Virgilius confirmat cum dicit:

«*Quantum instar  
in illo!*».

Recentiores tamen, ut Plinius Secundus, alia quadam ratione videntur hac usi dictione, neque improprie tamen, neque indecenter, ut cum ait de Traiano:

«*Instar refectionis existimas mutationem  
laboris*».

Nam et apud Ciceronem legitur «*instar mortis*» itemque et alibi:

«*instar ulctionis videretur cernere laceros artus,  
truncata membra*».

Item:

«maximum beneficium vertebatur in gravissimam iniuriam civitasque Romana instar erat odii et discordiae et orbitatis».

PUD. Ego vero, Petre Compater, facile sum passus aegre ferrentem te grammaticorum importunam diligentiam evagatum longiuscule; omnis tamen dicendi oblectatio vacare debet taedio cum primis audientium ac defatigatione. Quamobrem redeat iam Pardus ad insomnia, quo Horatianum illud punctum, dum iocis miscemus seria, e dictionibus his nostris ab iis qui audiendi nobiscum hic gratia conserverint referamus, sintque posthac res inter nos grammaticae levatio quasi quaedam rerum difficiliorum quae in sermonem venient, non autem disserendi materia.

PARD. Revocas me, ut video, Puderice, ad somnia, vel potius aut impellis aut trahis. Atque equidem vereor ne de his disserentem me huberius ad somniandum adigas etiam vigilantem. Dicam tamen quae sentio quaeque ut probentur a multis desiderari quidem potest, utinam vero id consequamur ut a paucis!

[Page 143]

Externam quidem esse mentem putat Aristoteles eamque veluti peregre advenientem, ut sentire illum arbitror, in animos hominum illabi idemque animis praestare ipsis officium ad cogitandum per vestigandumque, denique ad iudicandum quod artificibus ipsis ad conficiendum destinatum opus praebeat dextera. Ac mea quidem sententia, perinde ut de luce per orbem a sole diffusa lumen oculis accenditur ad videndum atque discernendum ea quae oculis obiecta sunt (nam et lux externa, id est coelestis res est eque coelo a sole diffusa peregre ad nos advenit), sic a coeli ipsis siderumque commotionibus, per eam quae ?????????? Graece est, Latine **contagionem** fecit Cicero (mihi magis placet appellare **contagem**, quando **contagio** in malam ac pestilentem hodie partem accipitur), sic, inquam, a coeli stellarumque agitate perpetuo animis nostris mens, id est vis illa cogitandi tam acuta et solers tamque etiam sibi constans dono dei infunditur. Nec vero ea quae nunc dico accipi sic velim ut non et ipse de Deo deque animae immortalitate eiusque creatione ea sentiam quae Christiani sint hominis et pii quidem hominis, sed disserentem de somniis par est quaedam tanquam somniantem afferre in medium. Neque vero oblitum te illorum arbitror, quae paulo a me ante dicta sunt de monitis persaepe sanctissimis illis patribus a Deo traditis inter dormiendum. Ne igitur a proposita re discedam longius, quae in somnis offeruntur simulacra et visa, ea partim a cupiditate, studio affectionibusque hominum maioribus excitantur, quod videmus etiam in canibus, et, ut Claudianus ait:

## 5.

«Venator defessa foro cum membra reponit,  
Mens tamen ad silvas et sua lustra reddit.  
Furto gaudet amans, permutat navita merces,  
Et vigil elapsas quaerit avarus opes  
Blandaque largitur frustra sitientibus aegris  
Irriguus gelido pocula fonte liquor».

## 6.

Est enim locum hunc poeta ille luculentissime prosecutus; partim etiam a quadam tum colluvie humorum, tum malo ab habitu corporis, hique excitantur in corpore cum dormitur; unde etiam visa ac simulacra illa nonnisi conturbata videntur et persaepe terrent. Multum quoque ad haec ipsa conferunt tempestates, sincerusne sit an perturbatus aeris ipsius status, anni quoque partes, qualis est autumnus propter inconstantiam ac varietatem, ut in somnis quidem contingant ob has ipsas causas pleraque omnia quae nostrorum

[Page 144]

sunt sensuum, cum et vigilant et exercentur. Quippe cum dormientes, videmur etiam coenare, potare, Veneris rebus uti, ridere, laetari, timere, lacrimari, sequi, fugere, audere demum quae vegetantis quaeque sentientis sunt animae, pleraque inter dormiendum ipsis in visis accidere, ut haec ipsa fere sine sympathia illa coelesti fiant. At quomodo, inquam, fient, quomodo absque siderum contagie et coeli visiones illae divinae quidem ac sanctitatis plenae futurorumque cognitionis atque (ut Christiani dicimus) arcanorum mysteriorum? Quemadmodum igitur mens illa coelitus sibyllis offertur vatibusque praeclarissimis; per quam remotissimas quoque res nihilque ad se spectantes, ne cogitatas quidem prius nec concupitas vates ipsi et praedicunt et praevident, eundem ad modum coelitus visions illae offeruntur dormientibus, iis quidem ut nullis occupatis aut curis aut cogitationibus, ipsis vero sensibus ita liberis se vacuis, ut nihil utique humanum eis inesse videatur; sicuti recte quidem a poetis describitur furor ipse vaticinantium, qui, quod praeter humanos fiat sensus, furor est appellatus. Qui igitur in vatibus furor est, in dormientibus caret nomine; pie tamen magis quam proprie a bonis quibusdam viris tum visitatio tum apparitio divina dicitur, quasi Deus in somniis illos inviserit aut numen iis aliquod apparuerit quiescentibus; quo factum est ut monita ipsa, perinde ac divino ex **ore** prolata, quidam appellarent **oracula**. Ut autem non omnibus, sed perquam paucis divini illius spiritus concessa est familiaritas visque ad vaticinandum, sic non multis est attributa somniandi veritas, vel, ut rectius loquar, sanctitas atque castitudo. Quam paucissimi vel rarissimi potius existunt poetae, quorum ingenii etiam vis e coelo manare eredita est! quibus itaque divinis cum visionibus haec inest familiaritas, tanquam hospitii ius, et illis quoque eisdem inest a coelo informatio accipiens apta visis quae de coelo per contagem illabuntur. Qua de re ab illis qui sideralis scientiae quae ????????? Graece dicitur studiosi sunt permulta traduntur, quae nos ad illorum hac in parte disciplinam relegamus. Te ipsum equidem, Paulo Prassici, dicentem audivi saepius multum hanc ad rem conferre tum Veneris stellam, tum Iovis, magic autem Veneris, qualem scilicet ea sese in genitura habuerit, praesertim adversus signum illud, qualeque signum illud fuerit quod nonum tunc coeli locum tenuerit aut primum, cum quis in lucem venit. Inter signa vero omnia, cui Virgo nomen est inditum, illud esse divinationi huic quam accommodatissimum; quippe quod eam in constituendo corpore retineat temperationem fermentandis humoribus,

[Page 145]

qualem fermentationem esse oporteat fabricae illius quae simulacrorum huiusmodi familiaris futura sit atque hospita. Omnino autem fermentatio illa corporis quae bilis atrae secum habet permultum rei huic est perquam apposita, de cuius natura quaedam etiam admiranda traduntur ab Aristotele. Ea enim ipsa terrenam ob qualitatem, quod atro in vino appetet, ubi concaluit iam, spumam quandam huberiorem excitat, de cuius excitatione spiritus et quidem vehementiores gignuntur. Atqui spiritus quidem ipse aerius cum sit (nam qui Graeco nomine est ??? Latino dicitur spiritus), efficitur ut quemadmodum per aerem a natura ipsa visus, qui oculorum est sensus, exercetur, et qui aurium est auditus, item et olfatus, eundem ad modum contages ipsa coelestis supernaque illa affectio per aerem perque spiritus illos tantopere suscitatos sese

insinuans exercet mentem in vaticinantibus, plus tamen minusve pro natura fermentationis ipsius eiusque temperatione; quod item officitur in dormientibus, pro fermentationis eiusdem ratione et habitu corporisque illorum concretione. Itaque neque Augustinus, summa tum doctrina tum etiam sanctitate vir, neque doctissimi e nostris theologi, neque e philosophis Stoici acutissimi iidemque disputaees homines (utar enim novo hoc nomine, quando eiusmodi Academia quidem fuit) somnia visionesque probare dubitaverunt quaeque in somnis traduntur monita; quae quidem etiam sunt qui vocaverint oracula, neque defuere qui arbitrati sint prophetarum pleraque per somma eis et oracula divinitus demonstrata; et Syllam, felicissimum tum civem tum imperatorem, consulenti Lucullo in re militari quid servaturus esset potissimum, somnia cum primis animadvertisenda respondisse boni auctores tradunt.

Haec igitur, Puderice, sive suasus a te sive compulsus, quando et Syncero satis iri factum intelligebam, de somniis dixi; abstinebo a pluribus, ne, quod paulo ante dixi, vel vigilans videar somniare. Quodque poetica vis vaticinantium habetur persimilis, unde poetae et ipsi vates dicuntur, Synceri ipsius, poeticae quam studiosissimi vel poetae potius et quidem elegantissimi, officium neque indignum fuerit neque ingratum, si et ipse consessu in hoc de poetis afferet in medium aliquid, quo consessores hos dormitantis iam avocet a somno, quando loquens ipse de iis quae inter dormiendum offeruntur somnum iam videor audientibus provocasse. Quam ad rem locus ipse non minus quam oratio haec mea adhortari te debet, Syncere Acti, quem et Panhormita olim Antonius, dum viveret, et Senex nunc hic noster dignum uterque vel iudicavere vel fecere ipsi potius,

[Page 146]

in quo de omni disciplinarum genere disputaretur a doctis viris, qui non minus libenter quam ad eum saepe conveniunt.  
Act. Et exuscitasti nos, Parde, a somno, dum de somniorum natura et causis argute non magia quam vere disseris et nunc me ad dicendum excitas deque iis praesertim studiis quae, quod pace dictum sit vestra, quanquam fateor esse communia, tamen quod in iis ita laboravi hactenus diesque labore ac noctis sumque sedulo laboratus, si mea ea dixerim, videar iure ipso dixisse. Est tamen haec ipsa res maioris ocii curaeque vigilantioris, disserere de poeticae excellentia; quo utar autem hoc verbo Senis nostri auctoritas efficit, quem finientem saepius audivi poetae sive officium sive finem esse dicere apposite ad admirationem nihil autem nisi excellens admodum parit admirationem.

Quod nisi tanta illa moveret Aristotelis me maiestas, vel ausim abdicare a mediocritate poetam, quae tamen in hoc ipso alio quodam modo et requirenda est et laudanda. Quodque admiratio ipsa multis ac maximis comparatur virtutibus, quibus explicandis haud est satis idoneum nunc tempus, cum sit res ipsa multiplex ac laboriosa admodum multaeque animi pensionis, ne non Pardo tamen vel potenti vel iubenti morem geram, eius attingam vel magis seligam eam partem quae tota versatur in numeris, etsi numeri sunt ipsi e verbis quae versum constituent, quibus inter nostros quidem eminere videtur Virgilius.

Numerus autem ipse cum primis et movet et delectat et admirationem gignit. Eius autem prima illa laus est quod varietatem parit, cuius natura ipsa videtur fuisse vel in primis studiosa. Quid enim vel inertius vel, ut ita dixerim, oscitantius quam eodem semper sono ac tenore syllabas et verba compangere? Quo vitio e posterioribus poetis sunt qui laboraverint; quae res non minus modo illos reddidit admirabiles, verum etiam longe minus graves, siquidem ipsis e numeris, tum collidendis vocalibus tum substinentiis ac remorando sono, aut contra vocibus syllabisque praeproperandis, comparatur etiam dicendi quaedam tum gravitas tum ea quae dignitas suo est nomine; quanquam harum utraque artibus etiam aliis comparatur, hae autem admirationis ipsius praecipuae quidem sunt nunc comites nunc vero et duces.

Quae res quoniam exemplo quam dictione fit manifestior, sumam principio ex ipso Aeneidos versum illum:  
«multum ille et terris iactatus et alto».

[Page 147]

Plenus hic quidem est versus, sonorus, gravis, numerosus; quae

laus tota existit de collisione vocalium statim repercussa, eaque ingeminata. Quodsi dictionem eam subtrahas quae est «**ille**» ac dicas «**multumque et terris iactatus et alto**», mirum est quantum de versus ipsius dignitate, gravitate, magnitudine detrahatur. Quod quidem ipsum fit etiam ob accentus unius detractionem. Etenim pars ea quae est «**multumque**» unum tantum secum adducit accentum eumque subinclinatum, at «**multum ille**» duos, quos utique collisio ipsa et coniungit simul ambos et eos efficit tum pleniores tum etiam magis sonoros.

Videamus et alium, qui est:

«*Multa quoque et bello passeus, dum conderet urbem*».

Qui si dieas: «**Multa etiam bello passus**», tumet intelliges quanta fiat sonoritatis imminutio et quidam quasi langor ob soni ipsius exilitatem, quam dictio illa «**quoque**» non solent exterminat, verum ipsum et auget et implet sonum; quem nequaquam etiam implesset si dixisset: «**Multa quidem et bello passus**»; nam paulo ante cum dixisset «**multum ille**», in ea quae statim sequebantur copulatione non erat a numeri plenitudine corruendum; dixit igitur «**Multa quoque**», nam tum «**etiam**» tum «**quidem**» sonum faciunt satis exilain, contra dictio «**quoque**» implet cum. Quocirca vel exquisitissime exigitur in poeta litterarum delectus ac selectio. Habet autem versus tot accentus quot et verba, etsi perticula **que** et **ve** non faciunt ipsae per se accentum, sed illum ad se trahunt praecedentibus a syllabis, qua e re a grammaticis dictae sunt inclinativae.

Quo fit ut quatuor haec verba **Multa quoque et bello** quatuor etiam accentus habeant, at **Multa etiam bello** tris tantum.

Nam praeterquam quod sonant tenuiter, uno etiam superantur accentu.

Hanc ipsam autem soni ac litterae plenitudinem haud multo post, quod locus ipse ab illa esset alienus, Virgilius reiecit, solertissimarum aurium solertissimus subblanditor, dicens:

«*tot adire  
laborer*».

Qui si «**obire**» dixisset, in asperitatem quasi quandam et confragosum incidisset sonum, coniungens statim **tot** et **ob**, cum alibi, quod extollenda vox esset, dixerit:  
«*Et lituo pugnae insignis obibat et hasta*»;  
tenuitas enim antecedentis syllabae suffragio egere subsequentis videbatur.  
Sed omittamus nunc quae tum ad litteras spectant, tum ad

[Page 148]

syllabus. Quid causae fuit, quid, inquam, causae cur exponere se Virgilii maledicentiae grammaticorum voluerit cum dicere

«*Fluviorum  
rex Eridanus*»

maluit, quam «**Eridanus fluviorum rex**», quod per versum licebat? An quod aurum pluris faceret voluptatem quam tetricum litteratorum iudicium? Languet enim sic versus, sordescitque in ore quodammodo, consideratis praesertim et quae statim praecedunt et quae post sequuntur dictionibus. Quocirca implere illum maluit artificiosa verborum commutatione. At videte quam concinne inter dictiones quae ambae quatuor constarent e syllabis interiecit «**rex**», quae est unius, quippe quae post collocata et structurae ineptitudinem argueret et sonoritatem illam tam suavem auribus ipsis invideret. Hac igitur e commutatione versus ipse redditus est spectabilis, qui aliter ridiculus esset atque abiiciendus. Claudit saepenumero Virgilius plures versus sustinendo sonum illumque remoratur, ne ipsa aut deliqueat sonoritas aut praecipitetur. At videte, obsecro, quam apposite, quam studiose praestruit tribus e dictionibus versum iisque disyllabicis et tanquam prima in acie spondeum collocat, solutum quidem ac liberum, indeque, praeterita secunda, alterum atque alterum in tertia et quarta acie. Inter primum autem spondeum ac secundum unum quidem secunda in acie statuit dactylum, et ait:  
«*Tantae molis erat Romanam condere gentem*»

et alibi:

«*Siqua fata sinant, iam tum tenditque foveatque*».

At si invertas: «**Molis erat tantae**» et «**Fata sinant siqua**», omnis illa vocalitas iam exhalat, quod Virgilius ut prohibeat, solutum ab omni connexione spondeum in principio collocat; ut alto in loco cum ait: «*Curru iungit Alesus equos*». Potuisset cum dicere: «**Iungit Alesus equos curru**», numeris tamen maluit auribusque consulere. Dilabi enim videtur sonus et pene fugere cum dicit:

«*Iungit Alesus equos*»,

tali praesertim in loco, appareat enim elegiacus semiversus; contra vero consistit vox et sibi ipso praesidio est, ne, ut dixi, exhalet ac diffluat cum dicitur: «*Curru iungit Alesus equos*». An se ipsum auresque ignoravit suas Virgilius cum dixit:  
«*Bina manu lato crispans hastilia ferro*»?

Cum enim hac in structura singulisque in dictionibus disyllabis primas ad syllabas statuatur accentus, quadrato quasi agmine (quaterni

[Page 149]

namque accentus e quaternis illis disyllabis dictionibus in aciem simul prodeunt) quaterni simul accentus eodem spatio consonant. At nihil generosum habuerit, nihil selectum si protuleris:  
«*Ferrea cum valida crispans hastilia dextra*», plebeiusque hic versus fuerit, ille vere Maronianus. Et cum alibi dixit: «*Contra tela furit*», an non poterat: «**Tela furit contra**»? sed noluit esse in accinendo praepoperus. Sic cum dixit: «*Turno tempus erit*» et

«*Parcae fila legunt*».

Possem hac in parte excitare e sommo aliquos, qui dormitare mihi visi sunt in hoc ipso genere numerorum, a quo quidem consilio longe ipse sum alienus. Sat mihi fuerit, dum Pardo vobisque qui hic adestis morem gero, explicare paucis quae sentiam quaeque a me studio quodam Virgiliana diligentiae fuere observata. Claudit pene iisdem numeris constructionem illam Valerius Catullus:

## 7.

«Cum lecti iuvenes, Argivae robora pubis.  
Auratam optantes Colchis avertere pellem,  
Ausi aunt vada salsa cita decurrere puppi,  
Coerula verrentes abiegnis aequora palmis».

## 8.

Sane quam ridiculum videatur ac despicibile si narrare incipias:  
«*Ausi sunt vada salsa cita decorrere puppi / cum lecti iuvenes*». Ac nihilominus Virgilius et ipse duce tamen dactylo (tanta est in numero ipsa vis) incipit explicationem illam coniunctis statim quinque vocibus iisque disyllabis:  
«*Larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi*»,  
etsi alibi incipit a spondeo, ut,  
«*Salve, sancte parens, iterum salvete recepti*».  
Adeo ubique consulendae sunt aures. An forte, quod a convicio exordiretur, remorari vocem magis ac magis numeris illis quinques eodem tenore et spatio ingruentibus voluit? Quod mihi quidem satis fit probabile. An non idem ipse duce quidem dactylo a crebritate eadem numerorum coepit in enarratione illa tam eximii apparatus:

«*Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris  
Contemptor divum Mezentius agminaque armat*»?

[Page 150]

Quo in loco rem ipsam ut magnam, ut horribilem futuram, quo adaequaret numeris, talique principio finis quoque ut consonaret, intulit: «**agminaque armat**»; parum namque consummatissimis aurum eius sensibus visum est si conclusisset: «**agmen et armat**» aut «**agmina cogens**». Itaque ab ipsis extulit pulmonibus «**agminaque armat**». Vide igitur quid collisio faciat suo in loco adhibita, quid artificiosus assultus contundentium sese vocalium? Numerus igitur alibi sedatus esse debet, perinde ut oratio, ut verba e quibus oratio ipsa constat, quales sunt narrationes eae in quibus non exigitur vel magnificentia verborum vel pondus sententiarum, sed paratur tantum audientium attentio, ut rhetores praecipiunt, qualis est illa:

«*Conticuere omnes intentique ora tenebant  
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:  
Infandum, regina, iubes renovare dolorem*»;

fluunt verba, labitur oratio, nihil confragosum, nihil caesum aut ex arte, ut videatur collisum, habens. Quid explicatione illa mundius:

«*Sic fatur lacrimans, classique immittit habenas,  
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris*»?

Quid alia illa sedatius:

«*At regina gravi iamdudum saucia cura  
Vulnus alit venis et caeco carpitur igni*»?

Fluunt itaque numeri ipsi, quibus nihil profecto lenius, ut nulla videatur ars adhibita, nulla ipsi apparent cura temperati. At surrigendum supercilium cum fuerit et magno tonandum ore, numeri ipsi conferti, tanquam conserta in pugna milites esse debent, atque ubi, est opus, ut et ipsi quoque horrorem incutiant; quin et litterae et syllabae vastiores conquirendae sunt, nonnunquam etiam asperiores aut hilcae. Age, quaeso, quid tibi hac ipsa de exaggeratione videtur:

«Iam Deiphobi dedit ampia ruinam  
Vulcano superante domus, iam proximus ardet  
Ucalegon, Sigea igni freta lata reluent.  
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum»?

Quae verborum, quae tum litterarum tum syllabarum selectio, **clamor**,  
**clangor**, **visum**, **tubarum**, qui accentus pene quaterni tam accomodati,

[Page 151]

**Sigea, igni, freta, lata!** Quid ille qui e vestigio sequitur  
duarum dictionum ab eadem littera incipientium convocalis sonus:  
«Arma amens capio»? An est, Parde, quod aures ultra exigant  
tuae? Sed adhuc adverte, quaeso, admirabilem in iis verborunt  
conquisitionem: votes illae ambae disyllabae **clamor** et **clangor** a  
syllabis incipient rigidioribus, desinunt in horridis; illae alterae **virum**  
et **tubarum**, quae copulationem finiunt, in syllabis desinunt  
subobscursis, obscuritas vero omnis horrorem incutit; quod idem  
poeta servavit in illa tempestate, cum dixit:  
«clamorque virum stridorque rudentum»;  
quo in verso singulae dictiones versum constituentes litteram habent  
asperam, qua multiplicata, horror quasi quidam gignitur loco illi  
debitus. Ipsae quoque inclinativae particulae, dum accentus ad se  
rapiunt, horrore etiam ipsi non parum adiungunt: «**clamorque**  
**stridorque**»!

Quando autem properare numerus debeat et quomodo properatio  
ipsa fiat, docet versus ille:  
«Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis»;  
cupiens enim poeta, artificiosissimus flammarum concremationisque  
illius celeritatem numeris suis reddere, versum e dactylis struxit  
coegeritque dictiones celeritati perquam accommodatas. Quid? quod  
ut strepitum quoque accensarum referret stipularum, selegit etiam  
syllabus interstrepentes, quales sunt primae **stipulae** et **crepitantis**,  
nulla arcessita collisione aut adhibita inclinante particula.  
Rursus qua via sistendum sit et tanquam standum in acie, habent  
rei huius instar insequentes versus:  
«Stabant orantes primi transmittere cursum»,  
et:  
«Tum demum admissi stagna exoptata revisunt»,  
et:  
«Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra».

[Page 152]

Qua etiam ratione servanda sit mediocritas, collocatio quidem  
ipsa dactyorum mistim alternisque cum spondeis monstrare potest;  
qualis scilicet est versum qui sequuntur:  
«Et mulcere dedit fluctus et tollere vento»;  
«Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor»;  
«Talia perstabat lacrimans fixusque manebat»;  
«Illa solo fixos oculos aversa tenebat»;  
«Talia flammato secum Dea corde volutans».

Quo tamen in versu quasi erigere supercilium iam pararet, tris  
illas disyllabicas dictiones in acie quasi media collocavit. Omnis  
igitur illa sive dignitas sive gravitas magnitudineque numerorum  
a numerositate ipsa gignitur accentuum, de dictionum collocatione  
syllabarumque delectu profecta, quippe cum syllabae dictionesque  
accentum, accentus vero numerum, numerus autem et plenum et  
generosum et admiratione dignum versum statuat. Quanquam autem  
nendum Cicero ipse, eloquentiae pater, accentum vocat, sed etiam  
litteratores universi, quorum quidem proprium est loqui de litteris,  
syllabis, dictionibus atque earum qualitatibus, utimur tamen hoc  
nomine eo libentius quod canere dicuntur poetae et Virgilium exordiens  
verbo est hoc auspicatus: «Arma virumque cano». Licet videre  
in versibus quos paulo post afferam quandam quasi fluctuationem  
nunc sistentium nunc profluentium dictionum; qua e re  
necessa est ut accentus quoque ipsi incertitudine ac varietate fluctuant  
sua invicemque alterentur:

«'Quis globus, o cives, caligine volvit atra?  
Ferte citi ferrum, date tela et scandite muros.  
Hostis adest, eia!' Ingenti clamore per omnis  
Condunt se Teucri portas et moenia complent».

Alibi:

«Sternitur infelix Acron et calcibus atram  
Tundit humum expirans infractaque tela cruentat.  
Atque idem fugientem haud est dignatus Orodem  
Sternere nec iacta caecum dare cuspide vulnus,  
Obvius aduersoque occurrit seque viro vir  
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.

[Page 153]

Tum super abiectum posito pede nixus et hasta:  
'Pars belli haud temnenda viris, iacet altus Orodes'.  
Conclamat socii laetum, paeana secuti.  
Ille autem expirans: 'Non me, quicunque es, inulto,  
Victor, nec longum laetabere; te quoque fata  
Prospectant paria acque eadem mox arva tenebis'.  
Ad quae subridens mista Mezentius ira:  
'Nunc morere; ast de me divum pater atque hominum rex  
Viderit'».

Quae igitur vocum varietas accentuumque fluctuatio his sit in  
versibus ipsi videtis. Dicentem audivi saepius Senem hunc nostrum  
quotiens locus incideret aliquis in quo sordescere posset oratio numerique  
relanguescere, sustentandum illum esse crebritate accentuum,  
non minus quam verborum delectu; quibus spondei quidem permuniti  
essent eosque veluti gravem armaturam primos statui in  
acie oportere, inde dactylos summitti, qui tristitiam illam exhilararent;  
quod ipse secutus esset in toto loco qui est de Pristice:  
«

Ipsi de rate turrigera aut e pupibus altis  
Ferratis instant hastis iaciuntque tridentes  
Pinnigeros; imo referunt sese icta profundo».

Nec multo post:

«

Agmina perturbat videoasque indagine in una  
Urgeri armentum vasti aequoris. Ille trucidat  
Ense ferox, hic sullata secat ossa securi,  
Aut unco trahit ad litus praedaque superbus  
Ingentis media tauros resupinat arena».

Post etiam subdit:

«

*Hic latis strata in tabulis suffixave ad uncos  
Ferratos duplici horrescunt pendentia dorso  
Et squamosa rigent duris ad tergora pinnis.  
Urbs ipsa armentum ad Nerei et spolia efferat currit,  
Ac montana ruit longe ad spectacula pubes».*

Extulit idem hic exilein sane rem solis quidem numeris, delectu  
tamen verborum adhibito conquisitisque rebus aliquanto remotioribus,  
imprimisque litterarum sonis, e quibus numeros et graves  
et plenos elicit:

[Page 154]

«

*Ast Tingin, Bochique domos, habitataque Mauris  
Tecta, deosque humeris coelumque Atlanta ferentem,  
Insignisque auro et pomis radiantibus hortos  
Hesperidum ac deserta siti Getula leonumque  
Arva fame Mars armipotens et Scorpius ardens  
Inspectant laeti coelo et sua iura tuentur,  
Hic chelis, ille ense potens».*

Quid autem exilius quam quod dicturus erat, Getuliam ac Tingitanam  
subiectas esse Scorpio? Afferam et alium locum similem,  
cum dicturus esset Africam ac Numidiam Cancro esse  
subiectam:

«

*At Cancer noctisque decus Latonia virgo  
Lotophagum sedes tenet et quos Bagrada saltus  
Infidusque secat Cinyps et Punica late  
Litora quoque vagus se solvit in aequora Triton  
Et formidatas olim Carthaginie arces  
Ac latebras, Masinissa, tuas cavaque antra leonum».*

Scimus etiam eundem ipsum fuisse solicitum eo de verso qui  
est in Andromeda:

«

*Virginibus praeferre maris sese ausa suumque  
Ostentans decus».*

Sic enim initio scripserat, verum quod tristem iudicaret ac lugubrem  
materiam, tarditate potius numerorum quam festivitatem  
prosequendam esse, ab exordio praesertim ipso, commutatis dictionibus,  
remoratus est celeritatem. Etenim, ut Aristoteles etiam asseverat,  
celeritas acumen soni gignit, tarditas gravitatem. Itaque,  
subtracta inde dictione quadrisyllaba ac commutatis locis, collocavit  
ibi dictiones disyllabas quidem duas adiecitque statim monosyllabam  
ac dixit:

«

*Ausa maris se virginibus praeferre suumque  
Ostentans decus, aequoreas armare sorores»,*

quo factum est ut tenor ipse primi pedis, qui uno constabat ex accentu

ac fluitabat, altero statim adiecto substantaretur atque ingravesceret,  
siquidem e «**virginibus**» unus tantum consonabat accentus,  
at «**ausa**», cum unum ex sese accentum efflet et quidem

[Page 155]

circumflexum, «**maris**» alterum eumque acutum, efficitur ut sonus  
ipse dactylicus duplicitur, qua e re tenor ipse et sistitur et ingravescit.

Idem hoc servavit alio in versu, qui primo fuerat:

«*Et de marmoreis, guttas stillare columnis*».

Cumque iudicaret eo in loco opus esse soni remoratione, uses est  
eadem commutatione dictionum:

«*Et guttas de marmoreis stillare columnis*».

Numerus enim ille e «**marmoreis**», quadrisyllaba dictione, constitutus,  
quod esset ipse festinantior, reddebat aliquanto fluentior  
et pene lubricus; at terni illi accentus tribus e dictionibus conflati  
confertimque assonantes alter alteri quasi manum de proximo sibi  
porrigunt aciemque ipsam sustinent.

Attulimus hoc praesertim in loco e Senis nostri libris exempla,  
quod consilia eius ex eodem ipso cognovimus. Nam veterum poetarum  
Virgiliique ipsius suspicari quidem illa tantum possumus.

Inest et suum quoque numeris decorum, ut cum vel aspera, vel  
suavis, vel miserabilis, vel iucunda res, vel gravis, vel contra levis  
versatur in manibus, vel suis aliis affectibus mista et temperata.

Vide igitur quibus Virgilius uses est numeris in prognosticatione  
illa futurae tempestatis:

«*Heu qui nam tanti cinixerunt aethera nimbi*».

Ad metum, ad dolorem, ad ducis curam exprimendam coegit tres  
simul monosyllabas dictiones, summisit deinde disyllabam, post alteram  
atque alteram trisyllabam, iunxitque quatuor simul spondeos.

Quid hac aut verborum conquisitione diligentius aut animi  
conquestione gravius? Nec me quorundam auctoritas moverit asseverantium

a Virgilio scriptum «**heu quia**», non «**qui**», cum nos

iudicemus neque «**quia**» neque «**quid**», sed «**qui**» fuisse a Virgilio  
scriptum; nam et littera **d** pleniusculum nescio quid sonat, quod

hic ipse numerus nunc renuit, et «**quia**» brevitate plusculum festinat  
sua, cum vox ipsa videatur in dolore sistenda. Sed de hoc

sit suum cuiusque iudicium, nostra quidem haec est opinio. Decorandos  
igitur ad numeros tum litterae tum syllabae, nedum verba

integra maximum habent pondus, et, quod non «muto ante diximus  
in illo versu:

«*Insequitur clamorque virum stridorque rudentum*»

[Page 156]

nulla ex illis dictionibus asperiore caret littera. Namque aliarum  
principium, aliarum finis, aliarum et principium et pausa trahit  
secum asperitatem litterae rigidioris. Quid? quod cum in tempestate  
obscuritas terrorem augeat, «**virum**» et «**rudentum**» ultimae sonant  
etiam nescio quid subobscurum.

Animipendite, quaeso, versus illius numeros qui est:

«*Monstrarat caput acris equi, sic nam fore bello  
Egregiam et facilem victu per secula gentem*».

Qui praecedunt tres versus et huius ipsius dimidium tribus clauduntur  
accentibus iisque disyllabicis. Ne igitur a gravitate descisceret  
sua, confiavit binis e monosyllabis totidemque e disyllabis  
dictionibus accentus quatuor, quodque satis est rarum, octo versum  
illum locupletavit accentibus, quo fit ut tardius pronuntietur;  
tarditas autem, ut diximus, gravioris est soni causa, perinde ut  
acutioris celeritas; acutum autem et grave in iis quae auditus  
sunt habentur a physicis opposita; qua tamen in te, quo modum  
retineret, copulavit statim binos dactylos, qui tarditatem illam  
moderarentur. Sunt autem versus hi:

«*Lucus in urbe fuit media lactissimus umbra,  
Quo primum iactati undis et turbine Poeni  
Effodere loco signum, quod regia luno  
Monstrarat, caput acris equi, sic nam fore bello  
Egregiam et facilem victu per secula gentem».*

In tertio quoque logo digne idem fit vocalium concursus, ut:

«*Ni faciat, maria ac terras coelumque profundum»,*

ut item:

«*Contigit oppetere, o Danaum fortissime gentis»,*

et ut:

«*Erramus vento, huc et vastis, fluctibus acti»;*

magnani utique gravitatis partem amiserit si mutaveris:

«*Erramus  
vento et vasti, huc fluctibus acti».*

Itaque hoc quidem modo erit hiatus ipse copulandi tantum necessitate factus, ille vero implendi ac sistendi sonoris gratia ab arteque profectus. At in quarto et quinto

[Page 157]

pede quotiens fit atque in sexto et ad pausam, et versus ipse suo cum numero mirifice assurgit quadam etiam cum magnitudine et rara quaedam inde comparatur numeris ipsis dignitas; quod versus illi declarant:

«*franguntur remi, tuna prora avertit»,*

item :

«*Et vera incessu patuit dea, ille ubi matrem»,*

et:

«*Fundamenta locant alii immanisque columnas  
Rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris»,*

et:

«*Troes te miseri venti, maria omnia vecti»,*

et:

«*Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos»,*

et:

«*Saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens»,*

et:

«*Contemptor divum Mezentius agminaque armat»,*

item:

«*Aerea cui gradibus surgebant limina nexaeque  
Aere trabes».*

et:

«*Et magnos membrorum artus, magna ora lacertosque  
Exuit»,*

item:

«*Iamque iter emensi turres, ac tecta Latinorum  
Ardua cernebant»,*



et:

«*Inseritur vero nucis, e foetu arbutus horrida  
Et sterile, platani malos, gessere valentis*».

[Page 158]

Affert autem raritas haec hiandi cum insequenti versu non sine aurium voluptate etiam dignitatem; nam et novitas delectat ipsa per se et assultus ille hinc versum inchoantis, illinc terminantis vocalis suam quoque vocalitatem auget, qui fit praesertim absque detractione, ut in illis:

«*classemque sub ipsa  
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae*».

et:

«*Talem dives arat Capua et vicina Veseko  
Ora iugo*».

In horum autem versuum commemoratione non possum non ridere opinionem vel asseverationem potius eorum qui dicunt fuisse a Virgilio scriptum: «*vicina Veseko Nola iugo*», mutatum vero post ob denegatam sicuti aquam. Neque enim Virgilius, qui Nolanum plane agrum sterilem nosset minimeque triticum alere, sed milii solius ac secalae feracem, inter fertiles eum numerasset Campanoque coniunxisset, quin vicinam oram nominans campos innuit Acerranos qui sub ipsum iacent Vesevum occasum versus suntque fertilissimi. Suos igitur numeros suorumque concentuum suavitatem sequebatur cum scripsit: «*vicina Veseko / Ora iugo*». Collisio igitur vocalium, quam et contusionem et concursum a re ipsa vocare possumus, fieri singulis in pedibus eorumque concisionibus potest. Vocamus autem concisiones ipsas pedum inter se complicationes; Graece nomen habent a numero syllabarum tritemimeris, heptemimeris, enneamimeris, eaque duobus fit modis, cum aut eaedem concurrunt vocales aut cum diversae; ubi eaedem sese collidunt extruditurque e versu altera, ea tum ademptio tum extrusio recte vocatur, non minus fortasse proprie explosio. Ipsum autem concursum Cicero hiatum vocat et vocales ipsas dicit hiare; at cum permanent neque truduntur loco boatum sunt, e litteratoribus qui vocaverint, rectius utique complosio vocabatur, quod e resultu geminetur sonus, ut in illo «*Ter sunt conati imponere Pelio Ossan*». Ipse vero resultus longe minor existit cum e diversis fit vocalibus, ut: «*Ionio in magno*».

[Page 159]

Atque ego quidem, libere vobiscum ut loquar, praeterquam quod Graecam habet imitationem affertque varietatem, quae per se ipsa delectat et naturalis est, non videor cur a Latinis complosio magnopere sit probanda, cum vix delectet, nisi in iis quae a Graecis sunt accepta, qualis ille versus: «*Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae*», et: «*Dardanio Anchisa*», et: «*in Actaeo Aracyntho*». Raritas tamen ipsa et quam dixi varietas potest reddere illam et venustam et suavem, suo tamen accommodatoque in loco, ac verbis idoneis. Cum autem concursus fuerit in primo pede, ea e re numerus ipse fit solidior, cum quadam etiam iucunditate, praesertim ubi eaedem concurrunt vocales, ut: «*Ille ego qui quondam*»,

et: «*Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu*», et:

«*Illi indignantes  
magno cum murmure montis*».

At cum diversae vocales hiant, numerus solidescit ipse quidem, non eadem tamen cum voluptate audientium, ut: «*Credo equidem nec vana fides*», et:

«*Cuncta  
equidem tibi rex*».

Solidiorem autem stabilioremque numerum inde fieri manifesto apparebit si dixeris «*Cuncta quidem tibi rex*», qua e re numerus ipse statim languescat. Interdum collisione ex ipsa vel extruditur vel exciditur potius integra syllaba vel eius bona pars, id est vocalis cum consonante littera **m**, ut: «*Postquam introgressi*», et:

«*Illum expirantem transfixo  
pectore*»;

item: «*Illum et labentem Teucri*». Ex hoc si detraxeris et, deque altero ex, dixerisque: «*Illum labentem Teucri*»,

«*Illum  
spirantem transfixo pectore*»,

curtum nescio quid aures statim offendenter. Hoc autem ideo dicimus quod non ubique collisiones ipsae fiunt necessitate carminis, sed arte potius atque aurium obsequio, id est numerorum gratia. Cur autem syllabae ex vocali et **m** compactae deturbentur ubique nunc e versu (nam priscis illis seculis non semper excludi esse solitum), versus ille Ennianus docet:

«*et  
milia militum octo*».

Videtur causae illud esse quod propter **m** terminalem optusum nescio quid ac subobscurredum sonent, quod aures vix patiantur in fine vocum. Itaque nec mirum est si e dictione «**sed**», quae olim fuit «**sedum**», detruncatio facta est, quando populi quidam finalem **m** compluribus e dictinibus sustulere. Quod ipse aliquot in monumentis summae vetustatis animadverte, ut Beneventi in lapide, in quo scriptum est: «*Infelix fatu prior debui mori mater*». Et Telesiae: «*Mater miseria hoc monumentu extruxit Olympias amens*», in quibus

[Page 160]

et **fatum** et **monumentum** sunt absque **m**. Referam verba epigrammatis: «APOLLONIA QUAE VOCITABAR LAPIDE HOC INCLUSA QUIESCO UNUM SORTITA MARITUM, SERVAVI CASTA PUDOREM. MATER MISERA HOC MONUMENTO EXTRUXIT OLYMPIAS AMENS». An non prisci illi fecerunt **gelu** et **cornu**, quae prius erant **gelum** et **cornum**, quorum priori Lucretius non semel utitur? Idem litteram s frequentissime explodebant e versu, ut idem Lucretius testis est. Graeci terminationibus iis carent quae in **m** desinunt, Latinis autem eae sunt familiarissimae et, ut adverti, etiam Aethiopibus. Sed redeamus unde digressi sumus. Eiusmodi quoque litterarum hiatus fiunt in secundo pede sustentandi tenoris atque implendi numeri gratia, etiam cum dignitate,

nullam tamen ob necessitatem, ut in illo:  
«*Ductoresque ipsos primum capita alta ferentis*»;  
potuerat enim dicere: «***Ductores ipsos***»; et in illo:  
«*Praeterea aut supplex aris imponat honorem*»;  
videbitur autem tenor ille flaccescere si dixeris: «***Praeterea supplexve  
aris imponat honorem***», cum in illa collocatione non solum  
habet **a**, verum alterum **a**, quod est primum elementum in voce «**aris**»,  
de proximo loco hiatum ipsum assonando adiuvet.

In tertio quoque maiore fit cum vocalitate, ut:

«*Ni faciat, maria ac terras coelumque profundum*»;  
sordescet plane numerus si dixeris: «***Ni faciat, pelagus, terras coelumque  
profundum***».

At in quarto et quinto pede quotiens fit, in sexto item, et versus  
ipse mirifice assurgit, quadam etiam cum magnitudine, et rara quaedam  
inde comparatur numeris ipsis dignitas; quod declarant Virgiliani  
illi:

«*Haec ait et dicto citius tumida aequora placat*»;

«*Fundamenta locant alii immanisque columnas  
Rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris*»;

«*Et vera incessu patuit dea; ille ubi matrem.  
Agnovit, tali fugientem est voce secutus*»;

«*Troes te miseri ventis; aria omnia vecti*»;  
«*Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos*»;  
«*Saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens*».

[Page 161]

Hiatus etiam ille atque complosio quae fit cum; insequenti versu,  
ut dictum est, raritate sua affert etiam cum aurium voluptate dignitatem.  
Nam et novitas quasi repente edita delectat per se et  
assultus ille hinc versum inchoantis, illinc terminantis vocalis suam  
quoque vocalitatem accumulat, ut:

«*it clamor ad alta  
Atria*»,

et:

«*Expectata dies aderat nonamque serena  
Auroram Phaethontis equi iam luce vehebant*»,

et:

«*Famaque finitimos et clari nomen Acestae  
Excierat*»,

et:

«*In medio sacri tripodes viridesque coronae  
Et palmae pretium victoribus*»,

et:

«*manifesto in lumine vidi  
Intran tem portus*».

Verum ego longior forte et ambitiosior explicandis his fui, feci hoc tamen eo libentius quod scriptum de his adhuc sciam a nemine, quanquam et multa quoque a me praeterita sunt, quae post alii et inquirent ipsi acutius et apposite magis explicabunt. Sat etiam scio esse e vobis longe quam ego sum rerum harum qui sint studiosiores. Itaque, quod hic convenerimus, te praesertim, Parde, auctore, relinquendus est cuique suus etiam dicendi locus.

PARD. Mihi quidem, Syncere Acti, si inficias irem satis a te non esse factum, inique fecerim. Satisfecisti profecto, nec minus docte quam copiose. Sunt vero etiam qui vultu iam ipso prae se forant allatueros aliquid, quod se, quod hoc ipso conventu dignum iudicent quodque locus quidem ipse vel exigit sedentibus nobis, vel etiam per se postulat. Atque, ut risu ex ipso praesentio, Summontius hic noster egregium aliquid meditantes iam exurgit verecundiaeque est tuae dare locum dicenti.

[Page 162]

SUMM. Ego vero, Parde, arbitror Syncerum nostrum multa nos celare valle, quo post, ut mercatores consuevere, longe pluris vendat quod in arca sepositum est, viliori merce iam divendita. Explicasti vel enucleasti potius nobis, Acti, et quidem non incunde minus quam memoriter, hiatus et explosions quoque inde gignantur numeri, quotam autem partem poeticae Virgilianaeeque potissimum numerositatis! Resera igitur areas mercemque nobis selectiorem explica, quod te per Manes ipsos Virgilii obtestatus oro perque locum in quo ille iacuit, quam ipso et invisis saepissime et reverendissime veneraris.

ACT. Percalluisti, Petre Summonti, qua me esses arte eam ad rem tracturus, quae fuerit ab hominibus nostris hactenus vel omnino despecta vel parum certe animadversa aut cognita, dum mercatorum mecum exemplo uteris atque consuetudine. Scis enim nobilitas haec nostra omnia ab mercatura ipsius nomine quantopere abhorreat. Ne tu me igitur aut mercatorem existimes aut avarum, explicabo consilia tibi mea quaeque indagandis poeticis numeris a me fuere diligentius observata, non ut arbitrer me tamen assecutum quod et ipse voluisse et vos forte audire nunc expectatis.

Prosequar itaque susceptam de numeris ipsis partem quodque per Virgilii tantum me es Manes optestatus, Virgilii fare unius exemplis agam, quando unus hic de nostris poeticarum virtutum instar est omnium, ac maxime numerorum.

Omnino poeticus numerus carminis ipsius structuram sequitur, structura vero ipsa constat e dictionibus, dictiones autem accentum constituunt, singulae singulos. Ipsi quoque accentus dictionum ac syllabarum sequuntur tempora, quibus et lenitas adjuncta est et lenitati contraria asperitas, aliae item qualitates pro syllabarum natura litterarumque e quibus sunt dictiones constitutae. Unaquaeque autem dictio aut ex una tantum aut e duabus aut etiam e pluribus constituitur syllabis, singillatim tamen omnes unico duntaxat a grammaticis suoque signandae dicuntur accentu. Sunt vero accentus ipsi duo, sibi e fronte adversi, alter, acutus, gravis alter; quodque in hac controversia liceat medium quoque aliquod constituere, qui medius est accentus ex hisque conflatur duobus et dictus est et habitus moderatus, nomine alio circumflexus, quod nomen ductum est a propria eius peculiarique in scribendo nota. Tempora igitur syllabarum sint cum tantum duo, breve ne productum, ex hoc id existit atque et igitur, ut unaquaeque syllaba aut brevis sit aut producta, nonnullae tamen communitate quasi

[Page 163]

quadam praeditae et produci possunt et spatio enuntiari breviori. His igitur in hunc modum explicatis, ad usum numerorum venio; qua in re nihil tam aut exigitur aut spectatur quam varietas; cum

enim omni studio fugienda sit satietas, ea ne sequatur varietas ipsa  
praestabit. Complicationes autem sententiarum et nexus illi qui  
tum sententias ipsas tum sententiarum partes ac membra connectunt  
et insequentibus versibus per gradus quasi quosdam ductas eas  
claudunt, ut nunc alterum nunc tertium versum catena quasi quadam  
vinciant, assidua e continuatione vitium satietatis praecipue  
afferunt; quae ut rarae ac suis quibusdam in locis terminatae demulcent  
cures, sic e contrario continuatae ubi fuerint, satietate  
afficiunt. Ponam versus aliquot e Proserpina Claudiani, poetae tum  
summi quidem studii, tum magni etiam exercitatique ingenii, qui  
sunt:

«*Dux Herebi quondam tumidas exarsit in iras  
Proelia moturus superis, quod solus egeret  
Connubio sterilesque diu consumeret annos,  
Impatiens nescire torum nullasque mariti  
Illecebras nec dulce patris cognoscere nomen  
Iam quaecunque latent ferali monstra barathro  
In turmas aciemque ruunt contraque Tonantem  
Coniurant Furiae crinitaque sontibus hydris  
Tisiphone quatiens irfausto lumine pinum  
Armatus ad castra movet pallentia Manes  
Pene reluctantis. Iterum pugnantia rebus  
Rupissent eleminta fidem penitusque revulso  
Carcere, laxatis pubes Titania vinclis  
Vidisset coeleste iubar rursusque cruentus  
Aegaeon positis auto de corpore nodis  
Obvia centeno vibrasset fulmina motu.  
Sed Parcae vetuere minas orbique timentes  
Ante pedes soliumque ducis fudere severam  
Canitiem genibusque, suas cum supplice fletu  
Admovere manus, quarum sub iure tenentur  
Omnia quae serient fatorum pollice ducunt  
Longaque ferratis evolvunt secula pensis».*

His autem versibus auspicatus est singularis poeta enarrationem  
sui carminis. Delectat autem carmen ipsum; nam et spatiatur libere  
et constat sibi ipsi, quanquam in verbis prae se fert nimium  
fortasse studium eorum conquirendorum. Exemplum tamen Virgilii

[Page 164]

si iusta ponatur, admonebit nimiae nos continuationis nexum  
ipsorum de quibus nunc loquimur:

«*Vix e conspectu Siculae telluris in altum  
Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant,  
Cum luno aeternum servans sub pectore vulnus  
Haec secum: 'Mene incepto desistere victimam,  
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem,  
Quippe vetor fatis? Pallasne exurere classem  
Argivum acque ipsos potuit submergere ponto  
Unius ob noxam et furias Aiakis Oilei?  
Ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem,  
Disiecitque rates evertitque aequora ventis.  
Illum expirantem transfixo pectore flamas  
Turbine corripuit scopuloque infixit acuto;  
Ast ego, quae divum incedo regina, Iovisque  
Et soror et coniunx, una cum gente tot annos  
Bella gero; ecquisquam numen lunonis adoret  
Praeterea aut supplex aris imponat honorem?'  
Talia flammato secum dea corde volutans,  
Nimborum in patriam, loca foeta furentibus austris,  
Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro  
Luctantis ventos tempestatisque sonoras  
Imperio premit ac vinclis et carcere frenat».*

Versus sunt fore totidem, locus ipse satis similis, hic prae se fert  
sumnum numerorum ac varietatis studium, illo unius connexionis  
versuumque complicandorum, ut, praeterquam quod a dictione monosyllaba  
coepit, quae est **Dux** ut Virgilii **Vix**, nullum eius sit exemplum  
secutus. Ipsius autem complicationis qui sunt nimio plus stadiosi  
eorum quae admirationem praecipue pariunt ut obliviouscantur  
necessere est. Excurrit ille tanquam pupulabundus, nec sistens  
aliquando pedem, nec ut regionem circumspectans sui ipsius rationem  
habet. At Maro servandae gravitati intentus, secundum  
statim versum refersit vocibus duarum syllabarum, e quibus octo  
accentus extudit et ad quintum pedem e syllabis **re** et **ru** invicem  
sibi alludentibus pene expressit remorum strepitum; quae annominatio  
quasi quaedam mirifice blanditur auribus. Ad haec singulis  
pene versibus sensus suos et graviter et magnifice claudit sistitque  
pro tempore, ut cum ait: «*Haec secum*» et cum:

«*Quippe vutor  
fatis*».

Ac ne varietatis appareret immemor, post versus aliquot tam  
apposite structos, tam examussim quadratos, insonuit versum longe  
illorum dissimilem:  
«*Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei*».

[Page 165]

Quid? quod ubi connexionibus utitur, stat, ut: «*Aeoliam venit*» et:  
«*circum claustra fremunt*». Ille vero praetervolat suae tantum excursioni deditus, nullo hiatu  
vel ad efferendam vocem, vel ad sistendum tenorem usus. At Virgilius  
ad stabiliendum etiam numerum quaternos ad spondeos bis  
divertitur, in altero versu explosionem adhibens:

«*Illum expirantem  
transfixo pectore flamas*»,

in altero hiatu nullo usus:

«*Luctantis  
ventos, tempestatesque sonoras*».

Quid cum summisit:

«*Illi indignantes  
magno cum murmure*»,

et: «*Ni faciat Maria ac terra*»? Quantum  
utroque hiatu addidit numerorum gravitati!  
Quid? quod disyllabarum dictionum memor illarumque numerositatis  
quater illos arcessivit in auxilium: nunc senos, ut:

«*Vela dabant  
laeti et spumas salis aere ruebant*»;

nunc quinos:

«*Circum claustra  
fremunt, celsa sedet Aeolus*»;

alibi quaternos, ut:

«Quippe vetus fatis?  
Pallasne»;

alibi ternos, ut: «secum Dea corde».

In delectu autem verborum ac selectione Virgilius iudicari potest et studiosus et prudens, at ille rancidum nescio quid videtur sapere; verum de delectu ac structura dicere ocii est maioris opera eque magis elucubratae.

Varietas igitur affert suum numeris ornaturum ac decorem eaque paratur multis ac diversis modis, de quibus in universum praecipi hoc a me potest, ne scilicet iisdem in numeris sit diutius consistendum, quo satietas prohibeatur, neve aures longa de continuatione fatigentur, quo vitio non pauci laborant. Particulatim autem attingam complura, nam omnia, infinitum pene id esset, nec necessarium iudico, quando via ipsa e paucis commonstratis satis patefiet, vobis praesertim quibus studia haec sunt familiarissima.

Unisyllabae voces et inchoandis et finiendis versibus varietatem afferunt numerorum, valideque illos sistunt si a spondeis foveantur, auspicando praesertim versu; stabiliunt enim sonorem, qui emus est in unius syllabae voce, quod Virgilius frequentissime servavit in principiis enarrationum praecipue, ut: «Urbs antiqua fuit»;

«Est in  
conspectu longo locus»;

«Rex arva Latinus»; «Est specus ingens»;  
«Est curvo anfractu vallis»; «Ut belli signum»; «Sic fatur lacrimans»;  
«At regina gravi». Non quod non et dactylus recte et commode iusta collocetur, ut: «Tu quoque littoribus nostris», et: «Mos

[Page 166]

erat Hesperio in Latio», et: «Nox erat et somnus», verum aures si consulueris, stabilimentum illud soni ab ipso initio tanquam a fundamento firmiter iacto, nescio, quid amplius plenitudine delectat sua.

In fine quoque eadem collocatio, dum tamen sit rara, delectat etiam varietate ipsa; praeponendus tamen est dactylus, qui eo in loco idem habet instar ad tarditatem temperandam quam ad moderandam in illo celeritatem spondeus; ibi tamen sequitur, hic praedit, ut: «praeruptus aquae mors», et:

«fractae, vires, aversa deae  
mens»,

et: «ruit oceano nox», et:

«Divum pater atque hominum  
rex».

Sed nec Lucretius est veritus spondeum praemittere, cum dixit: «et ingrati genitoribus inventi sunt». Eadem quoque monosyllabae binae simul collocatae, maxime post dactylicam aliquam properationem, numerosae sunt in medio; sistunt enim tenorem, quem etiam varietate condunt, ut in illo «Monstravit caput acris equi, sic nam fore bello», et:

«Praecipue  
cum iam hic trabibus contextus acernis»,

et:

«Visa viri, nox cum  
terrae obscura teneret»;

item: «Quae religio aut quae machina belli?»  
et: «Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent?».  
In principio similem in modum, veluti ab ipso fundamento tenorem  
stabiliriunt, ut: «Quam tu urbem, soror, hanc cernes», et:

«Nos  
te Dardania incensa

», et: «Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus».  
In fine quoque id praestant, ut dactylicam aliquam properationem  
contineant ac maturent pausam, ut:

«Dardaniumque ducem,  
Tyria Carthagine qui nunc»,

et:

«Manibusque meis Mezentius hic  
est»,

et: «Quam pro me curam geris, hanc, pater optime, pro me / Deponas». Atque hic quidem versus et in principio et in fine atque in ipso medio monosyllabis instructus est magna cum dignitate. Illo vero quid blandius? cumque sit versus maxime artificiosus, sponte tamen sua maxime etiam fusus appetat:

«I decus, i, nostrum, melioriobus  
utere fatis».

Duarum autem syllabarum vocibus suus ubique decor inest; quae ubi binatim fuerint aut ternatim collocatae aut forte quaternatim quinatimve, sive etiam senatim, sive inchoandis sive finiendis versibus sive intertexendis, mirum est quantopere delectent; repellunt enim satietatem illam auribus tam improbe inimicam, ut: «Monstra deum refero», et: «Thure talent aerae», et: «Proice

[Page 167]

*tela manu, sanguis meus*», et:

«Et campos ubi Troia fuit, feror exul  
in altum»,

et: «Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi», et:

«constituam  
ante aras voti reus extaque salsos»,

et:

«Procubuit subito et  
coelum tonat omne fragore»,



et: «*Quid tum sola fuga nautas comitabor*». Quid quod historici quoque voces huiuscemodi perlibenter videntur fuisse complexi, ut Sallustius:

«*arma, tela, equi, viri, hostes  
atque cives permisti?*»?

Trium syllabarum verba ternatim collocata variant etiam numeros, quadam cum moderatione, ut: «*Taciti ventura videbant*», et: «*Croceo velamen acantho*». Quia in collocatione et textu si adhibeatur aut hiatus vocalium aut explosio, non parum sibi gravitatis numerus ipse adiunget, quadam etiam cum generositate, ut: «*si omnis uno ordine habetis Achivos*», et: «*oculis Phrygia agmina circumspexit*»; item et:

«*Troiae  
supremum audire laborem*».

In primis quoque carminis partibus adiuvat textura numerositatem, ut:

«*Mutemus clypeos Danaumque  
insignia*».

Quod si collirio inciderit tenorem utique, versus efferet, ut: «*Undique collecti invadunt*», et:

«*gemini Atridae Dolopumque  
exercitus*».

Huiusmodi autem dictiones binae ubi collocabuntur, non est cur de his magna habeatur ratio, praesertim in principio, at ubi quaternae, numerum bene implent, ut:

«*Lubrica convolvit sublato  
pectore terga*»,

et: «*Latonae tacitum pertant gaudia pectus*». Magnam vero generositatem prae se fert numerus quotiens primas, medias et ultimas versus partes terna possederint trisyllaba, ut: «*Romanos rerum dominos, gentemque togatam*», quem et contextum et numerum nunquam meo iudicio satis digne laudare quisquam poterit.

Licet etiam cum dignitate et aurum gratia implere, versum quinque etiam trisyllabis, ut:

«*Talia narrabat relegens errata retrorsum /  
Litora Achaemenides*».

Tot vero trisyllaborum continuatio, ni magno fiat cum delectu, versum reddet ignobilem; Virgilius tamen ne parte ex aliqua varietati deesset, protulit hunc:

«*Occurrit  
veterem Anchisen agnovit amicum*»,



in quo praeter varietatis studium  
ac trium dictionum ab vocali **a** incipientium assonantiam,  
nesciam quid insit quod iure laudetur.

[Page 168]

Inerit autem quod laudetur etiam vehementer si post duo trisyllaba  
tetrasyllabum collocabitur, ut:

«*Currite ducentes subtegmina, currite, fusi*».

Nec vero is sum qui negare ausim huiusmodi multa faciendis  
versibus sponte sua ac pene fortuito occurrere, multo etiam plura  
ex habitu exercitationeque, verum tempus ipsum et artifex rerum  
harum est omnium et iudex. Itaque nec temere ah Horatio praecipitur  
nonum premi in annum opus debere. Quid enim numero hoc  
vel iucundius vel gravius:

«*An Deus immensi venias maris et tua nautae*»?

Qui cum sit constitutus primum e monosyllabo, inde disyllabo,  
deinde duobus e trisyllabis, post sequatur disyllabum ibique solvatur,  
deinceps exurgat rursus monosyllabum duobus cum disyllabis,  
fieri quidem potest uti similis eius versus sponte aliquando  
sua proveniat; plures tamen vix repentinus ille impetus effundet,  
quos longa quidem meditatio diurniorque cogitatio et cura, quae  
habitus ipsius artisque comites atque ancillae sunt, et saepius et  
suo in loco construxerint. Quis enim domum omnem fortuito aedificatam  
aut navem dixerit? Num casus insequentem fecit versum  
an ars diurniorque pensatio:

«*Numina sola colant, tibi serviat ultima Thyle*»,  
qui constet e dactylico trisyllabo primum, tribus inde disyllabis,  
post duobus e trisyllabis, item dactylicis, ultimo e disyllabo habeatque  
secum annominationem syllabarum, quae est ex primis, **tibi**  
et **Thyle**, et ex media dictionis quae dactylum quintum constituit?  
Dictionum quae e quatuor constant syllabis ea ratio habenda  
est, ut neque ipsae mussent neque vastitatem faciant aliquam.  
Virgilius eas libenter in quarto et quinto pede collocat, et sistunt  
enim et implent numeros, temperantque celeritatem, si qua forte  
antecesserit, ut: «*tacitae per amica silentia lunae*», et:

«*totoque  
ingens extenditur antro*»,

et: «*Danaumque insignia nobis*», et:

«*paribus  
curis vestigia figit*»,

et:

«*Per tot ducta viros antiquae ab origine  
gentis*».

Item: «*Pocula si quando saevae infecere novercae*», et: «*Aut*

[Page 169]

*hoc inclusi ligno occultantur Achivi*», et:

«*Pergameamque voco laetam  
cognomine gentem*»,

et: «*manibusque meis Mezentius hic est*».

Collocat easdem libenter in primis etiam locis subiicitque saepenumero  
spondeum tibi dactylicae voces illae fuerint, ut:

«*Interea  
Aeneas urben designat*»,

et: «*Incipiam; fracti bello*»;

«*Insequitur,  
clamorque virum*»;

«*Funereas inferre faces*». Non quod non dactylum subnectat quandoque, adeo nihil in iis perpetuum est quae ad varietatem pertinent, ut: «*Myrmidonum Dolopumve*», et: «*Threiciamque Samum*». Quin etiam spondeos aliquando iungit, ut: «*Argumentum ingens*».

In quibus omnibus consulendae sunt cures videndumque ubi aut celeritate maiore aut tarditate aliqua opus sit. Ad haec quotiens aliquot simul eodem in versu collocantur, interiiciendae sunt dictiones aut duarum aut unius aut trium syllabarum, ut:

«*Misenum  
Aeoliden, quo non praestantior alter*»,

et:

«*Aeneadae in ferrum  
pro libertate ruebant*»,

et: «*Olli discurrere pares discrimine nullo*»,  
et: «*Virginei volucrum vultus, foedissima ventris / Proluvies*», et:  
«*Mittimus Eurypylum scitatum oracula Phoebi*», et:

«*Qualis populea  
moerens Philomela sub umbra*»,

et:

«*Praecipitat suadentque  
cadentia sidera somnos*».

Sed nec Lucretianus ille praetereundus hoc loco est versus:  
«*Squamigerunt genus et volucres erumpere coelo*». Uses est Virgilii mirabili artificio cum vellet duas quatuor syllabarum voces easdemque dactylicas simul connectere; praemisit enim monosyllaba duo inter se copulata dixitque:  
«*Hinc atque hinc glomerantur Oreades*». Quibus numeris quid excogitari potest vel hilarius vel quod auribus tam adulanter blandiatur? In quinto quoque et sexto mirifice huiusmodi dictiones implet aures, praesertim ubi fuerint spondaicae, ut:  
«*Pallantis proavi de nomine Pallanteum*», et:  
«*Pilumno, quos ipsa decus dedit Orithyia*».

[Page 170]

Quid cum idem poeta tres simul collocavit quatuor syllabarum voces insonuitque:  
«*Cornua velatarum obvertimus antennarum*»?  
Utque sonus esset vocalior, et explosionem adhibuit, cum dicere posset «*vertimus*» et id praestitit, mediae ut syllabae assonarent ultimis.

Hilarem profecto ac maxime gratum numerum exhibuit Lucretius,  
duobus tetrasyllabis iisquo dactylicis, interiecto trisyllabo,  
post quoque collocato monosyllabo, inquiens:  
«*Onanigenis perfusa coloribus in genere omni*».  
Lucretiano hoc si non hilariorem, pleniorum certe Maro effudit,  
cum dixit:  
«*Continuo ventis surgentibus aut freta ponti*».  
Sed agite, quaequo, quos subdam versus considerate, dictio ntumque  
e quibus constant collocationem ac pedum solutiones et loca  
in quibus solutiones ipsae fiunt:

«*Incipiunt agitata tumescere et horridus altis  
Montibus audiri fragor ac resonantia longe  
Litora misceri et nemorum increbrescere murmur*».

Quibus considerandis neutique negligenda est litterarum syllabarumque  
assultatio illa et tanquam annominatio: «*agitata tumescere*»  
et «*longe litora*».

Egregium quoque peperit et Virgilius numerum post dictio nem  
tetrasyllabam in quarto collocatam, praepositis disyllabis tribus,  
cum subdidisset monosyllabum ac disyllabum, e quibus dactylum  
constituit cecinitque:

«*Victor equus fontisque avertitur et pede terram*».

Quam decenter igitur atque apposite, quanta etiam numerorum  
cura diversis in locis tetrasyllabas dictio nes Virgilius disposuerit  
declarant qui sequuntur versus:

«*Interea medium Aeneas iam classe tenebat  
Certus iter fluetusque atros aquilone secabat,  
Moenia respiciens, quae iam infelcis Elisae*

[Page 171]

*Collucent flammis. Quae tantum accenderit ignem  
Causa latet; duri magno sed amore dolores  
Polluto, notumque furens quid foemina possit,  
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt*».

In illis quoque:

«*Arma diu senior desueta tremebat aevo  
Circumdat nequicquam humeris et inutile ferrum  
Cingitur ac densos fertur moriturus in hostes.  
Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe  
Ingens ara fuit iusta que veterima laurus  
Incumbens arae atque umbra complexa penates.  
Hic Hecuba et natae nequicquam altaria circum,  
Praecipites atra ceu tempestate columbae,  
Condensae et divum amplexae simulacra sede bant.  
Ipsum autem sumptis Priamum iuvenilibus armis  
Ut vidit: 'Quae mens tam dira, miserrime coniunx,  
Impulit his cingi telis, aut quo ruis?' inquit  
'Non tali ausilio, nec defensoribus istis  
Tempus eget, non, si ipse meus nunc afforet Hector,  
Huc tandem concede, haec ara tuebitur omnes,  
Aut moriere simul'*».

Est eiusdem poetae versus:

«*Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum*»,  
quem ipse novem refersit accentibus, tot monosyllabas ac disyllabas

votes in eum congesit, quod est rarissimum. Itaque dum varietati consultit, nihil est quod non praestiterit, cui condiendae summum adhibendum a poeta est studium singularisque diligentia.  
Earum dictionum quae pluribus quam e quatuor constant syllabis magna quoque habenda est ratio. Prisci Latini Graecos secuti auctores iis frequentissime ad ultimos usi sunt locos, quibus scatet Lucretius, ut:

«Quae mare nigerum, quae terras frugiferentis»,  
et:  
«Nata sit, an contra nascentibus insinuetur»,  
et:  
«Ut puerorum aetas improvida ludificetur»,

[Page 172]

quin etiam locis ut his satisfacerent, solvebant diphthongos vocalesque simul coactas, ut:  
«Effice ut interea fera munera militai»;  
quin etiam intermiscebant superfluentis syllabas, ut:  
«Inter se nexus magis aut minus indupedita».  
Aliquando et Horatius auribus hunc suis numerum exhibuit, ut:  
«Olim qui magnis legionibus imperitarint».  
Sed neque Virgilius numerum hunc omnino reiecit, ut:

«Quarum  
quae forma pulcherrima Deiopean»,

et: «nec Thesea Pirithoumque»,  
et: «His Laodomia», et: «grave olentia centaurea».  
Nihil est enim quod non raritas approbet, auribus taedium ac satietatem recusantibus, cum praesertim Graeca lingua muneris his mirifice laetetur. Sed nec tamen debet raritas vacare diligentia.  
Enitet apud Virgilium nobilissimus hic dactylicus:  
«Panditur interea domus omniparentis Olympi»;  
quo in versu quod desiderare iure possis omnino nihil est; nam quod detrahitur accentibus, id vero suppletur multitudine syllabarum, ut etiam in hoc alio:  
«At Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges».  
Et hunc quoque versum eadem multitudine syllabarum numerosum reddidit, trisyllabum statim pentasyllabo coniungens:  
«Fortunatorum nemorum sedesque beatas».  
Alium item, in quo simul illigat disyllaba etiam plura;  
«Armentarius Afer agit tectumque laremque».  
Implentur etiam numeri, quotiens quartus et quintus locus occupantur ab huiusmodi dictionibus aut spondaicis, aut dactylicis, ut:  
«immedicable vulnus», et: «tempestatis actas», et:

«Ilychni laquearibus[Page 173]

aureis»

(cui numero multum est splendoris additum ab insequenti diphthongo, quod facile intelliges si dixeris «laquearibus altis», et: «Corybantiaque aera», et:

«Hinc Drepani me portus et illaetabilis ora».

Versus autem ille Petronianus, etsi non abiiciendus, videri fortasse potest aliquanto vastior:  
«Et periturorum deiecit tela Gigantum».  
Prisci illi, ut fuere polysyllabarum studiosi dictionum, quo uti commodius illis possent, syllabam quandoque externam ac superfluentem interposuere, ut dixi; hinc manavit «induperator», «indugredi», «indupeditus». Arte autem collocatae dictiones huiusmodi sive spondaicas post si trahant syllabas sive dactylicas, venustatem profecto suam retinent. Atque uti spondaicae implet sic dactylicae

suapte natura exhilarant, ut:

«*O fortunatae gentes, Saturnia regna*»;

«*Fortunatus et ille, Deos qui novit agrestis*»,

et:

«*Acrisioneis Danae fundasse colonis*»;

«*Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas*»,

Quid ille:

«*Degeneremque Neoptolemum narrare memento*»?

Quanto est temperamento conditus, dactylorum celeritate spondaica

tarditate temperata! Item:

«*Ora modis Anchisiades pallentia miris*».

Quid et hic:

«*Et centumgeminus Briareus ac belua Lernae*»?

Quam est generosus, nedum canorus et plenus, quod praestat tum syllaba eus in diphthongum coacta, tum particula ac, quae si inde eiiciatur, sonus ipse in medio pronuntiationis cursu concidet. Est etiam ille admodum plenus et gravis:

«*Amphytryonidae magno divisque ferebat*»;

[Page 174]

itemque:

«*Laomedontiadae, bellumne inferre paratis?*»,

Itaque ut primis in locis collocata et implet sonum et versum honestant, sic in fine faciunt illum quodammodo exilire nimiam ob celeritatem; sunt enim pene lubrica, ni polysyllaborum ipsorum natura, hoc est litterae syllabaeque e quibus constant, tenorem sustentent, quale illud:

«*Hyrtacidae ante omnes exit locus Hippocoontis*»,

et:

«*nec Thesea Pirithoumque*»,

et:

«*Quales Threiciae cum flumina Thermodoontis*».

Quocirca ars, adhibita industria, potest ubique numeris subvenire,

ut:

«*Ille pedem referens et inutilis inque ligatus*».

Sufficit multitudine syllabarum quod aliter in pausa subtractum esset accentibus. Lucretius quoque non indecenter excoluit illum suum et disyllabis et monosyllabo et litterarum syllabarumque annominationibus:

«*Multa siti prostrata viam per proque voluta*».

Non sine summa animi pensione collocavit Virgilius in quarto et quinto loco polysyllabum, e cuius primis syllabis statueret spondeum:

«*unus*

Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi».

Horatius quoque prudenter artificioseque temperavit illum suam

«*Disiecit medium fortissima Tyndaridarum*».

Versus hi Lucretiani declarare possunt quam sordescant huiusmodi numeri nisi dictiones ipsae sustentent eos:

«*Materies ut suppeditet rebus reparandis*»,

[Page 175]

et:

«*Sed magis aeterna pollutia simplicitate*»,

et:

«*Tandem deducunt in tales disposituras*».

Dat autem illi veniam vetustas numerorum rudis nec minus etiam materia ipsa tam humilis quam certe est. Quid ille alias:

«*Id facit exiguum clinamen principiorum*»?

Item alias:

«*et erunt et crescent inque valebunt*»?

Multa possent iis subiici, sed neque poetam nunc instituimus

et vos paucis his iure contenti esse potestis. Quocirca attingamus etiam alia, cum praesertim e vitio comparetur aliquando laus, quae virtutis est propria.  
Constat versus heroicus, quem non improprie agnominare generosum possumus, sex e pedibus, unde Graeco nomine **hexameter**, nostro **senarius** est vocatus; singuli pedes singula constituent metra.  
Probantur versus illi maxime qui inter dimetiendum inveniuntur complicatis inter se pedibus invicemque insertis, ut pes pedi sit tanquam catena vinctus. Nihilominus quibusdam qui in locis soluti inveniuntur reprehensione vacant, ut cum post primum et quintum pedem solutio fit estque ipsa dactylica; nimia tamen importunaque solutio vitiosa est. Ac nihilominus placet adeo varietas, ut interdum etiam solutione ab ipsa quaeratur numerositas carminisque ipsius decorum, quod accuratior ars facile quidem praestat, id quod suis in locis iisque singulis conabor ostendere, ut in hoc:  
«*Iussi numina magna Deum veneramur et inde*».  
Non eo inficias primum pedem saepissime solutum incedere ac sine ullis vinculis, praecipue cum voces illae aut trium fuerint syllabarum ut: «*Unius ob noxam*», aut etiam unius syllabae, ut:

«*Haec sunt  
quae nostra liceat*».

At cum sunt duarum et spondaicae, videtur sine aurium offensa vitium

[Page 176]

hoc fieri minime posse. Etiam Lucretianus illo nescio quomodo tanquam deficiente anhelitu in pronuntiando concidit:  
«*Fulmen detulit in terram mortalibus ignem*».  
Nihilominus et hinc quoque numerum sibi egregium in versu quem dixi Virgilius comparavit, conferta post acie tot dactylis; quod idem servavit in aliis quibusdam versibus quos tamen disyllabis honestavit «*Tantos illa suo rumpebat pectore questus*»;  
item:  
«*Tanta mole viri turritis puppis instant*»;  
etsi in his secundus sit pes complicatus, qui in illo est solutus, qua e re duplex illic facta, est solutio; quam utramque fecit etiam in hoc:  
«*Hic vir, hic est tibi quem promitti saepius audis*»;  
uterque tamen pes est dactylus, quam ob causam cum pluros in hoc monosyllabae insint voces, solutiones ipsae minus apparent. Quod idem contingit etiam in hoc:  
«*Illi haec inter se dubiis de rebus agebant*»  
tum propter monosyllaba tum etiam propter hiatum; et, in hoc quoque propter dactylum et monosyllabam vocem:  
«*Terres; haec via sola fuit, qua perdere posses*»;  
at in hoc, quia duo praecedunt monosyllaba sequiturque dactylus, appetet manifestius:  
«*Sed tu desine velle, Deum paecepta secuti*».  
Quid ille in quo tres factae sunt solutiones eaeque dactylicae:  
«*Scilicet omnibus est labor impendendus et omnes*»?  
Temperavit tamen celeritatem illam iterati dactyli tertius utique dactylus e monosyllabo disyllaboque compactus, duos secum accentus afferens; tertiam vero solutionem moderatus est statim subdendo tetrasyllabum, e quo et struxit spondeum et inde adiecto

[Page 177]

monosyllabo quartum conflavit dactylum, duplarem quoque secum accentum trahentem.  
Quae vero post secundum statim locum fiunt solutiones, eae quoque fiunt etiam cum dignitate quadamque aurium gratia, praesertim ubi insequuntur duo plurave disyllaba numerique ipsi sunt dactylici, ut:  
«*Aut aliquis latet error, equo ne credite, Teucri*»,  
et:  
«*Nec iam se capit unda, volat vapor ater ad auras*»,  
et:  
«*Extremi sinus orbis, ubi aera vincere summum*»,  
aut etiam unum, videlicet cum alterum praecedit dysyllabum, alterum

subsequitur, ut:

«Apparet domus intus et atria longa patescunt»;

quo in verso triplex etiam fit solutio.

Magnam quoque prae se fert luculentiam ubi terna subsequuntur

trisyllaba uno cum monosyllabo, ut:

«Artificis scelus et taciti ventura videbant».

Impletur mirum etiam in modum numerus ubi subsequuntur

spondei, non sine monosyllabo, ut:

«Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae»,

et:

«Visa viri, nox cum terras obscura teneret».

Denique non caret dignitate quacunque ratione solutio hac in parte fiat, ut:

«Nunc tantum sinus et statio male fida carinis»,

et:

«Classibus hic locus, hic acies certare solebant»,

[Page 178]

et:  
«Quo fremitus vocat et sullatus ad aethera clamor»;

item:

«Nunc positus novus exuviiis nitidusque iuventa»;

et:

«Impleri nemus et colles clamore relinqu»;

et:

«Coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam»;

et:

«Quo Phoebus vocat errantis iubeatque reverti»;

et:

«Experiuntur et in medium quaesita reponunt»;

quo in versu duo illa monosyllaba trium dactylorum praeproperam festinationem magna cum aurum voluptate remorantur. Persimilis huius videtur Lucretianus hic:

«Vociferantur et exponunt paeclara reperta».

Ut autem celeritatem in Virgiliano temperant bina monosyllaba inter dactylos constituta sic in Lucretiano tarditatem condit duos post dactylos monosyllabum duplice cum spondeo. Itaque solutiones hae ad secundum locum, dum sint artificiosae, sunt non solum gratae, verum etiam desiderabiles ob varietatem.

Tertio quoquo in loco solutio non fit sine dignitate, praecipue si tertius ipso locus fuerit dactylicus, et qui post sequuntur pedes fuerint et ipsi dactyli, ut:

«Horrescit strictis seges ensibus aeraque fulgent»;

quo in versu quartus quoque solvitur. Implet aures nescio quid etiam amplius, si subsequatur statim monosyllabum aut pes ipse tertius sistat in monosyllabo, ut:

«Una dolo divum si foemina victa duorum»,

[Page 179]

et:

«Externum tulit, aut crux hic de stipite manat».

Habet et hic duplum solutionem. Item:

«Interclusit hiems et terruit, austus euntis»;

«Intactamque coli dedit et contemnere ventos»;

«Demens et cantu vocat in certamina divos»;

«Venturum Ausonios, en haec promissa fides est?».

Hoc in versu et tertius desinit pes in monosyllabum, et cum alterum monosyllabum quartum ordiatur pedem, pausa ipsa conquiescit etiam tertio in monosyllabo, qui sextum claudit pedem. Est etiam versus illo numerosus, atque, ut ita dixerim, affabrefactus:

«Da deinde auxilium, pater, atque haec omnia firma»;

in quo quartos quoque pes liber incedit. Non caret etiam dignitate propter spondeos ac vocalium concursus versus ille:

«Nereidum matri et Neptuno Aegaeo».

Sed raritas est quae Latina in lingua huiusmodi versus condat.

Ad quartum locum facta solutio gignit magnitudinem, quodam etiam cum supercilio, praecipue si accesserit etiam collisio aut monosyllabum subsequatur, ut:

«Vela cadunt, remis insurgimus, haud mora nautae»;

et:

«Mortalis hebetat visus tibi et humida circum»,

et:  
«Fixerit aeripedem cervam licet aut Erymanthi»,  
et:  
«Incensae: moriamur et in media arma ruamus»;  
quo in versu tertius quoque pes liber est; habet pondus quoque  
suum, ubi quartus ipse pes ab altero incipit disyllabo desinitque  
in alterum, ut:  
«Vela damus vastumque cava trabe currimus aequor».

[Page 180]

Hoc autem usu venit propter accentus ipsos, qui numerum augent,  
quod manifesto cernitur in his qui subsequuntur versibus, neque enim  
eam retinent magnitudinem:

«Regia portabat Tyriis duce laetus Achate»;  
«Insontem infando indicio, quia bella vetabat»;  
«Praedit, vobis furiarum ego maxima pando»;  
«Dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum».

Contra quod inest subsequentibus pondus:

«Insideat quantus miserae Deus, at memor ille»;  
«Et campos ubi Troia fuit, feror exul in altum»!

Item:

«Olli somnum ingens rupit pavor ossaque et artus»;  
«Et Bellona manet te pronuba, nec face tantum».

Magna quoque inest et huic gravitas tum propter finale monosyllabum  
tum etiam propter explosionem:

«Vertitur interea coelum et ruit Oceano mox»;  
longe huic alteri maior propter terna tetrasyllaba eaque dactylica,  
etiam ad solutionem ipsam adiecto monosyllabo, qui numerum ipsum  
profluentem sistat:  
«Incipiunt agitata tumescere et aridus altis»,  
cui numero ne syllabarum quidem annominatio defuit, ut ante  
diximus. Denique quid hoc ipso versu luculentius:

«O patria, o divum domus, Ilium, et inclyta bello  
Moenia Dardanidum»?

Prae se fert supercilium quasi quoddam et hic:  
«Aspectans silvam immensam et sic ore profatur»;  
cum enim explosio tum monosyllaborum duplicitas spondaicis ipsis  
numeris pondus adiiciunt; quod idem praestant dactylicis in illo:  
«Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto»,

[Page 181]

quam ad rem non parum etiam confert prior solutio, quae fit ad  
tertium pedem.  
Numerorum igitur varietas diversis modis quaerenda est, nec  
una tantum ratione complectenda, quam nunc pedum eorundem  
continuatio, nunc variatio illorum pariat. Spondei namque continuati  
numeros stabilunt redduntque illos substristiores, neque enim  
fluere illos sinunt. Contra dactyli properare illos cogunt et hilaritatem  
quasi quandam afferunt. Eorum vero mistura illos temperat,  
quae tamen et ipsa fit non uno modo, sed nunc alternis, hoc est  
alterum post alterum collocando, nunc geminatim aut ternatim, alias  
hunc quam illum praeponendo selectius aut posterius statuendo.  
Voces item ipsae aut unius aut duarum aut plurium syllabarum,  
nunc in hoc nunc alio atque alio in loco dispositae varietatem pariunt.  
Unius enim syllabae voces sistunt ac sustentant; duarum  
vero pro natura temporum aut remorantur aut festinant aut etiam  
moderantur; nam binatim, ternatim, quaternatimve dispositae referciunt  
sonis versum atque illustrant numeros; e tribus vero aut  
e quatuor aut compluribus e syllabis constitutae voces similem in  
modum sequuntur naturam temporum, quae in ipsis sunt inconstantiora.  
Solutiones igitur et complicationes nexusque illi pedum, collisiones  
item atque explosiones hiatusque illi atque complosiones  
quantum conferant, loci etiam ipsi carminis, ex iis quae dicta sunt  
iudicari abunde potest.  
Mirum est etiam quantum tum litterae tum syllabae aut adiungant  
numerositati aut demandant ab ea, cum vocalium aliae sint plenae

ac sonorae, aliae exiles, clarae aliae aut contra subobscurae, omnes denique pro natura coniunctarum consonantium aliam atque aliam qualitatem suscipiant, proque loco collocationis, ubi primae ultimaeve aut mediae fuerint in constituendis dictionibus. Ad haec consonantes quoque litterae causam afferent lenitatis, asperitatis, optusionis, exibilationis, qualitatumque aliarum quae syllabis inhaerent et item vocibus. De quibus quoniam satis scio expectari a vobis, aliquid praestabo et hoc perlibenter idque quanto fieri brevioribus poterit, in re praesertim parum observata et tenui quaeque huberiorem videatur explicationem requirere.

Ea igitur sive figura sive ornatus condimentum quasi quoddam numeris affert. Placet autem nominare alliterationem, quod e litterarum allusione constet. Fit itaque in versu quotiens dictiones continuatae, vel binae, vel ternae ab iisdem primis consonantibus,

[Page 182]

mutatis aliquando vocalibus, aut ab iisdem incipiunt syllabis aut ab iisdem primis vocalibus. Delectat autem allitteratio haec mirifice in primis et ultimis locis facta, in mediis quoque, licet ibidem aures minus sint intentae, ut:

«*saeva sedens super  
arma*»,

et: «*tales casus Cassandra canebat*», et:

«*Insontem infando  
indicio*»,

et: «*longe sale saxa sonabant*», et:

«*magno misceri murmure  
pontum*»,

et: «*Quaeque lacus late liquidos*». Fit interdum per continuationem insequentis versus, ut in his Lucretianis:

«*adverso  
flabra feruntur / Flumine*».

Atqui allitteratio haec ne Ciceroni quidem displicuit in oratione soluta, ut cum dixit in Bruto:

«*Nulla res magis penetrat in animos  
eosque fingit, format, flectit*».

Et in secundo De oratore:

«*quodque  
me solicitare summe solet*».

Quid quod ne in iocis quidem illis tam lepidis neglecta est a Plauto? ut cum garrientem apud herum induxit Poenulum: «*ne tu oratorem hunc pugnis plectas postea*». Atque haec quidem allitteratio quemadmodum tribus in iis fit vocibus, fit alibi etiam in duabus simili modo, ut: «*taciti ventura videbant*», et: «*Turno tempus erit*», et: «*Impulit impulsu*», et:

«*victu venatus  
alebat*»,

et: «*duris dolor ossibus ardet*», et: «*formae conscientia coniunx*»,  
et: «*vasta se mole moventem*», et: «*Castra fugae fidens*»,  
et: «*Per loca senta situ*», et: «*quo turbine torqueat hastam*», et:

«*quem  
metui moritura*».

Cicero idem, eloquentiae Romanae princeps, eadem hac in coagmentandis  
duabus una dictionibus allitteratione delectatur, ut cum  
dixit in Bruto: «*sed dicere didicit a dicendi magistris*» et:

«*lorem,  
sicuti aiunt, si Graece loquatur, loqui*».

Habet etiam suavissimum condimentum  
quotiens allitteratio ipsa eodem geminatur in versu, per  
diversas tamen dictiones ac syllabas, ut:

«*Magna Manes ter voce  
vocavi*»,

et: «*pharetramque fuga sensere sonantem*». Et apud Lucretium:  
«*multa munita virum vi*».

Fit geminatio interdum eiusdem alliterationis eodem in versu,  
eaque nec vacua est iucunditate, ut in hoc:

«*Nunc rapidus retro  
atque aestu resoluta resorbens*».

Quid cum fit per insequentis versus  
allusionem, ut: «*verba vocantis / Visa viri*»? atque ut apud Lucretium:  
«*et fera ferri / Corpora constituunt*»?

[Page 183]

Virgiliana quoque allitteratio ea et rara est et aures non parum  
mulcet, quae constat partim ex continuatione, partim ex intervallo  
annominantium syllabarum: «*laetum siliqua quassante legumen*». Neque  
insuavis est Lucretiana illa: «*vesco sale saxa peresa*». Neque  
item alia haec: «*vera ratione repulsa*», aut:

«*clara loca candida  
luce*»;

aut alia illa: «*Tenuia sputa minuta croci contacta colore*».  
Nam Virgiliana illa ex continuatione est quam suavissima:

«*agitata  
tumescere*».

Sed nec inconcinna est illa, quae fit cum intervallo  
dictionis unius, ut: «*Concessit moesta ad Manes*», et:

«*Si nunc se  
nobis*»,

et: «*Olli discurrere pares discrimine nullo*», et:

«*pleno se  
proluit auro*».

Quid autem annominatione illa iucundius:

«*Ipsa canas oro. Finem  
dedit ore loquendi*»?

Quid etiam illa quae ex continuatione  
constat atque interiecta dictione: «*Quam fessis finem rebus ferat*»,  
et: «*aut ulla putatis / Dona carere dolis Danaum*»?  
Non indecore, non insuaviter fit etiam allitteratio haec cum  
allusione primarum litterarum syllabarum, ultimae ac primae vocis,  
et desinentis qui antecedit versus et statim subsequentis, ut:  
«*tenuere coloni / Carthago*», et: «*loco tum forte parentis / Pilumni*»,  
et: «*credere sensus, / Sola viri*», et: «*maxima rerum / Roma colit*».  
Eadem haec allitteratio syllabarum affert quandam, ut ita dixerim,  
auribus titillationem contextu in ipso, ubi desinente hinc, illinc  
continuante dictione eadem hac sibi ratione utraque alludit, ut  
«*aere ruebant*», et: «*lato te limite ducam*», et: «*Loricam ex aere rigentem*»,  
et: «*sidera retro*», et: «*frustra moritura relinquat*», et:  
«*coniunx iterum hospita Teucris*», et: «*Ditis tamen ante*».  
Non insuaviter etiam concursus earundem syllabarum mulcet aures;  
est enim genus quoddam complosionis: «*ruit oceano nox*», et:  
«*Fama malum*», et: «*Date tela*», et: «*cerno te tendere contra*», et:  
«*Stuppea flamma manu*», et: «*glauba canentia fronde salicta*».  
Interdum ultima desinentis versus syllaba concurrit consonatque  
cum ultima vocis inchoantis insequentem, ut:

«*diversa in parte furenti /  
Turbantique viros*».

Ut autem concursus ipse syllabarum delectat propter complosionem

[Page 184]

earundem litterarum, sic etiam ac multo magis earundem  
vocalium; quippe cum ex ipsa complosione magna fiat vocalitati accessio,  
ut: «*Si pereo hominum manibus, periisse iuvabit*», et:

«*imponere  
Pelio Ossam*»,

et: «*Nauticus exoritur vario hortamine clamor*»,  
et: «*sub Ilio alto*».  
Verum complosio haec Graecorum est linguae quam nostrae familiarior,  
cui explosio magis est peculiaris, ut:

«*Dixerat et genua  
amplexus*»,

et: «*Cum Troia Achilles*», et:

«*nec dum fluctus latera  
ardua tinxit*»,

et: «*coelo capita alta ferente*», et:

«*Porta adversa  
ingens*».

Videtur res sane ridicula, rara tamen et affabrefacta; subblanditur enim auribus quaedam quasi strepens litterarum inter se sive concursatio sive conflictatio, ac nonnunquam etiam syllabarum; quae vis ipsis potius inest consonantibus quam vocalibus quae syllabas eas ineunt; exemplum est:

«*Convulsum remis rostrisque ruentibus  
aequor*»,

et: «*cristaque tegit galea aurea rubra*», et:

«*fluitantia  
transtra*»,

et: «*Ora puer prima*», et:

«*Quadrupedante putrem sonitu  
quatit ungula campum*»,

et: «*Quod fieri ferro*», et:

«*Praefractaque  
quadrupedantum*»,

et «*infesta subit obvius hasta*», et:

«*tribusque /  
Transiit intextum tauris opus*»,

et: «*Fugit illicet ocior Euro*».

Ac mihi quidem videtur in pangendo carmine atque condiendis numeris illud idem usu venire quod in puellari cultu atque munditiis, ut non modo gemmae cuiuspam nitidioris, verum flosculi unius accessio permultum adiiciat cultui atque munditiis. Subiiciam itaque exempla quaedam Virgilianarum observationum in parte illa tum alliterationis, tum conflictationis; perexigua sane res, tamen nec pervulgata populariterque animadversa, sed quae et observata delectet, nec ulla sit ratione praetermittenda conanti quacunque possit arte audientium auribus subblandiri. Nunquid non etiam perquam suavis est allusio illa postremarum syllabarum?

«*Sterneret aequor  
aquis*».

Item illa mediae, et ultimae: «*animam abstulit hosti*». Alia item mediae ac primae: «*qua semita monstrat*»;

«foliorum exhuberat  
umbra»;

«Vulnificusque Chalybs». Nam de primis dictum est:  
«vellere vallum».

[Page 185]

Quid cum primarum et ultimarum simul: «Volat vapor ater»?  
Quid cum etiam primarum duarum et mediae dictionis inter utramque  
interiectae, ut: «relegens errata retrorsum»?  
Quid? etiam conflictationes ipsae quam sunt loco suo gratae, ut  
quidam quasi flosculi rariores inter prata niteant, ut:

«fulmineus  
Mnestheus»,

et: «Inter tela rotasque viros», et: «stabula alta Latinus»,  
et: «Insertabam aptans», et: «nota intra tecta refugit», et:  
«cristaque tegit galea aurea rubra». Sed nec poenituerit subiunxisse  
Lucretianum illum: «nix acri concreta pruina».  
Neutique fortasse ad numeros quod subdam, sed magis ad poetae  
prudentiam spectabit: nihilominus numeros quoque ipsos illustriores  
reddit. Hoc autem tale est ut numeris ipsis fiat satis etiam  
cum dignitate exprimendis affectibus, ut cum Virgilius Camillae  
vellet pedum celeritatem exprimere, pedum quoque ac syllabarum  
usus est celeritate:  
«Ferret iter, celeres nec tingeret aequore plantas»;  
et, quod initio diximus, voluerem illum flammae strepitum his verbis  
ac numeric explicuit:  
«Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis».  
Certum habeo Senem nostrum aegre hoc laturum, referam tamen.  
Is cum vellet Lepidinae illius suae tardos ac defatigatos gressus in-  
nuere, versum ita statuit, ut verba ipsa pedesque videantur quodammodo  
aegre se trahere:

«Nam defessa traho vix genua et inepta canistri  
Sarcina me gravat».

Quid enim his et verbis et numeris aut tardius aut defatigatius?  
Idem ipse Virgilii evaporantis aheni aestum ebullitionemque illam  
vix sese intra labrum continentis aquae cum explicaret, versum  
ita dilatavit, vix ut se ipsum capiat, quippe quem decem usque ad  
accentus extenderit nec habuerit quo amplius:  
«Nec iam se capit unda, volat vapor ater ad auras».  
Quod idem servavit in Mezentio irato et saeviente: praepeditur enim  
lingua iratorum ob oxandescentiam, ut haereat et consistat et

[Page 186]

remoretur sonum ac verba interrumpatque sermonem ac concidat  
orationem ipsam:

«Nunc morere; ast de me divum, pater atque hominum rex  
Viderit».

Quid enim est hoc ipso versu aut haesitantius, aut verbis interruptius,  
aut numeris etiam concisius? Quae quidem omnia praestantissimo  
cuique ingenio summa cura videnda esse censeo.  
Quin etiam idem ipse Virgilii quacunque posset arte, auribus  
ut satisfaceret, Graecos imitatus struxit quandoque tres simul voces  
in e desinentes, ut: «Quattuor ex omni delectae classe carinae», et:

«*Stant terrae defixae hastae*». Alibi quatuor, ut:

«*ite solatae / Ite deae  
pelagi*».

Quid cum dixit: «*Degere more ferae*»? An est qui inficias  
eat numerum hunc summo fuisse studio conquisitum?  
Aliquando tres item coniunxit voces eadem a vocali exordientes,  
ut: «*Insulae Ionio in magno*», et: «*Ire iterum in lacrimas*». Aliquando  
etiam diversas diversa a vocali incipientes, ut:

«*Regum  
aequabat opes animis*».

Quid cum dixit:

«*omnes uno ordine habetis  
Archivos*»?

Illud vero omnino Homericum:

«*Glauco et Panopeae  
et Inoo Melicertae*».

Est et hoc tenerimum in aures suavitatis infundibulum:  
«*lacerum crudeliter ora / Ora manusque ambas*»; et alibi,  
ut:

«*vultum vidit morientis et ora / Ora modis Anchisiades pallentia  
miris*».

Neque parum etiam neque insuaviter mulcetur auditus numerique  
ipsi conduntur ubi ultimae versuum dictiones itemque primi,  
secundi, tertii et quarti loci invicem consonant in ultimis syllabis, ut:  
«*Stringentem ripas et pinguia culta secantem*»;  
«*Venerat extinctam ferroque extrema secutam*»;  
«*Vix adeo agnovit pavitatem et dira tegentem*»;  
«*longarum haec meta viarum*»;  
«*Ad terram misere aut ignibus aegra dedere*»;  
«*Vinta recusantum et sera sub nocte rudentum*»;  
«*Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras*».

[Page 187]

Nam qui statim sequuntur versus, quotiens vel recitari audio vel  
mecum eos ipse succino et aures et animum titillari mihi sentio:

«*Terribilem cristis galeam flamasque vomentem  
Fatiferumque ensem loricamque ex aere rigentem,  
Sanguineam, ingentem*».

Sed haec fortasse ad verborum collocationem spectant et ad  
structuram carminis potius quam ad numeros; quamobrem ad ea  
quaes reliqua sunt transeo.

Delectus ipse verborum poetae nobilitat supelectilem, verum satis  
non est delegisse, nisi etiam seligas; fit enim delectus plerumque  
e multis, selectio vero e paucis. Itaque et voces et syllabas, etiam  
litteras seligere oportet, quo versus ipse undique sibi constet, ex

eoque tanquam in quadram redacto numerum perficias, id quod  
versus hi paucis indicabunt:

«*Illum expirantem transfixo pectore flamas*».

An non poterat etiam sic: «**Traiecto pectore**» suo quidem ac proprio  
verbo? Sed cum ante collocasset vocem illam «**expirantem**»,  
post vero «**flamas**», refertam utramque consonantibus litteris, voluit  
etiam in medio collocare vocem quae similibus quoque littoris  
consonaret, quippe cum in diction «**traiecto**» ea non esset consonantium  
litterarum copia nec similitudo, quae utraque est in  
«**transfixo**».

«*Talia flammato secum Dea corde volutans*»:

Cur non «**talia succenso**»? Nimirum quia vocalis **a** clarum e se edit  
sonum, at **u** vocalis subobscurum; itaque si **u** post duplex **a** subdidisset,  
claritatem quam affectabat eo in loco subobscurasset eamque  
ob rem submittendo alterum atque alterum **a**, adauxit litterae  
claritudinem; quid si dixisset: «**flammanti**»? atqui claritas illa  
erat implenda auxilio vocalis sonorae et gravidae, non tenuanda  
exili, qualis est *i* vocalis.

«*loca foeta furentibus austris*»:

[Page 188]

Cur non «**plena**»? Videlicet quod allitteratio delectet magis aures.

«*Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro*»:

Potuit sic et cum praeterito tempore:

«*Aeoliam vent. Vasto hic rex  
Aeolus antro*»;

praeterquam autem quod praeiens tempus repentinam  
vehementemque lunonis commotionem indicat magis quam  
praeteritum, quando res ipsa geri iam videtur et hiatus ille et monosyllaborum  
duplicatio eo in loco tum versum tum numerum nimio  
plus stetissent, quod ipsum pronuntiando sentitur.

«*celsa sedet Aeolus arce,  
Sceptra tenens mollitque animos et temperat iras*»:

In eo quod est «*celsa sedet*» et «*sceptra tenens*» simul insunt et  
allitteratio et conflictatio, quae aures submulceant. Quod vero dixit  
**mollit** potius quam **lenit**, hoc videtur fuisse causeae, quod vocalis **e**  
cum sonorem demittat, si **lenit** dixisset, eam trigeminasset indeque  
generosus ille canor, supra quam oportebat, demissus pene contabuisset;  
quem plenitudine sua vocalis **o** et sustentavit et illustrem  
reddidit, hac eum ratione moderatus. Ex his igitur quanquam paucis  
licet cognoscere quanta maturitate et studio sit cum litteris  
cumque auribus habenda ratio. Qua de re dictum a me sit hactenus;  
nam progredi ulterius quidnam esset aliud quam structurae collocationisque  
campum ingredi? Quae materia haudquaquam est loci  
huius magnumque volumen sola desiderat, ut de iis omnino taceam  
quae ad admirationem comparandam pertinent. Quocirca ad  
id quod reliquum videtur transeo.

Numerus ipse, quoniam celeritate constat ac tarditate, quarum  
alteram dactylus, alteram spondeus secum habet (est autem sermo  
hic noster omnis heroicis, hoc est generosis de versibus), ex his  
opportune collocatis prudenterque simul mistis manat dignitas illa  
quae laudabile Carmen reddit; quibus si accesserit verborum delectus,  
selectio syllabarum, de quibus pauca quaedam dixi, prudentia item  
et verborum et syllabarum temperandarum, ad haec magnitudo  
sententiarum, explicatio rerum iucunda et gravis pro loco ac re,  
et haec ipsa numerorum artificiosa varietas, decorumque illud quod  
in omni non modo vitae genere, verum etiam disciplinae ac facultatis  
a natura ipsa exigitur, ut de inventione, distributione iudicioque  
hac in parte taceam, nimirum admiratio illa plena laudis, quam

[Page 189]

poeticis Senex noster proponit studiis, multa etiam cum commendatione

ac fama comparabitur, quam sequendam ab illis duco qui  
in hac ipsa facultate excellere eminenter cupiunt. Has autem res  
omnis et praestabat ars ingenio coniuncta et eas perficiet, ac pertinax  
illa et diligens cura, quae optimo cuique inesse debet artifici  
quodque pace omnium dixerim (quanquam tibi, Parde, hoc ad aurem  
dictum velim) et Cicero oratorum maximus et Ovidius poetarum  
maxime ingeniosus nolunt ipsi quidem artem apparere. Ego vero  
non ibo inficias in iis hoc probandum artibus, quibus proposita est  
sola persuasio. At ipse nostris his in studiis labore, contendo, enitor,  
meum ut carmen appareat etiam admirabile, ut industria innotescat  
mea, ut celebretur artificium, dici quoque de me ut possit:  
«*Eris ab illo alter*». Dissimulat hic orator, alibi contra simulat quae  
sunt in causa, quo a iudice iure vel iniuria, dicendo tamen vel assequatur  
quod quaerit, vel extorqueat. At in hoc dicendi genere insidiae  
insunt nullae, nullum praeterquam famae compendium. Cupio  
igitur, et avertere quidem cupio, appareat industria mea in carmine,  
appareat diligentia, labores laudari per velim meos. Incendor cupiditate  
gloriae, utque inter earundem rerum studiosos evadam etiam  
primus. An inficiatus est hoc Virgilius cum decantavit:

«*Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,  
Aonio rediens deducam vertice Musas*»?

Non inficiantur vel minores auctores, Ovidius atque Horatius, uterque  
tamen suo in genere abunde clarus:  
«*Exegi monumentum aere perennius*»,  
et:

«*Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira, nec ignes,  
Nec ferrum poterit, nec edax abolere vetustas*».

Nolim tamen intelligatur ars mea antequam lectorem mei carminis  
in admirationem eius traxerim; at postquam factus est illius  
admirator vel introspiciat ipse consilia, laudet, commendet, extollat  
quaecumque etiam lineamenta. Quis statuarius, fusor, pictor vult  
se videri dum in umbrat, dum colores primos linit, dum primas illas  
quasi lituras effigiat? Post vero consummatum opus exponit illud  
et ambit publice laudari preeponique ob adhibitum studium coeteris  
artificibus omnibus. Etenim ab arte artifices sunt dicti finisque ipsius

[Page 190]

artificis, qua artem exercet, non qua lucrum inde quaerit, est bene  
consummateque in illa sese gerere opusque perficere a se susceptum.  
A poetis igitur non lucrum quaeritur, qua poetae sunt, sed admiratio  
cum commendatione operis suique ingenii; cuius quando comes est  
laus, laudari quoque se et palam et ore pieno tum cupient tum laetabuntur;  
quanquam, etiamsi a nemine laudentur, possunt tamen  
sola ingenii artificiique sui conscientia esse contenti. Sed elucescat  
oportet ingenii et artis eorum magnitudo ac praestantia de quibus  
fama est proditura, quae ab illis omni studio affectatur. Sed cohibebo  
me ipsum, ne incensus studiorum meorum commendatione  
longius ab incepto sermone discessisse videar. Sit igitur satis haec  
me in vestram omnium qui hic adestris gratiam ea de numeris tradidisse.  
Quocirca cui sorte sua optigerit, loquendi possessionem ei trado,  
ne loci huius consuetudinem existimer aut neglexisse impudenter  
aut contemptisse superbe.  
PUD. Vestrum qui adestris omnium officium arbitror non laudare  
solum quae a Syncero tam exakte dicta sunt de numeris, verum  
etiam admirari, dum qua via incedatur ad admirationem in poetica  
comparandam e numeris tam designanter et monstraverit nobis  
illam et expurgatis etiam scrupulis ac salebris complanaverit,  
id quod video a litteratoribus nostris praetermissum vel ignoratum  
potius. Recte itaque ab Antonio usurpatum memini poetam esse  
ipsum oportere poeticis qui de virtutibus loqui cum dignitate vellat.  
SUMM. Hoc nimurum fuit, Puderice, causae cur, qui ipse scirem  
grammaticis incompta haec esse, Syncerum ad dicendum excitaverim,

nec aut importunitatis poenitet me meae aut obsecrationis,  
per quam quid exanclatum fuerit ipse vides, ut neque iniuria neque  
praetor opinionem qui ea audivimus admireremur omnes. Utinam autem  
litteratores ipsi etiam in iis quae litteraturae sunt paulo essent  
diligentiores, cum praesertim videam Senem nostrum vel minutissima  
quaeque pensitantem etiam in grammaticis! Sed quid Senem  
ad haec ipsa advocaverim, qui paucis ante diebus eadem hac in  
Porticu audiverim Altilium hunc quaedam explanantem quae grammaticorum  
essent propria? Verum quis est eorum tanta solertia  
ut non alienis potius quam suis rimetur oculis artis ipsius secreta?  
Venit in sermonem Ciceronis, qui **causam** duplice s scribere esset  
solitus, quod ipsum Romae adhuc quoque vetustissimo in monumento  
inscriptum legitur. Attendite, quaeso, quibus a principiis  
est exorsus; non enarraverim qua suavitate rem expresserit, ne  
videar in gratiam eius qui hic adest eloqui; nam mihi quidem grammatici

[Page 191]

ab omni videntur prorsus dicendi suavitate alieni, etsi in  
cognoscenda vocum proprietate illisque contexendis omnis eorum  
fere versatur disciplina.  
Prisci, inquit, illi qui Latium, a quo Latinam dictam esse linguam  
sunt qui velint, etiam ante Aborigines tenuere, plerique in  
**cavernis** habitabant, quae a **cavando** essent dictae; iis autem et  
aestus cavebant et frigora, plerique etiam alia incommoda, in illisque  
se et sua **cautius** tutabantur. Qua e re verbum **caveo** ab iisdem  
esse deductum; quodque in causa ipsa **cavisse** oporteret, inde ab  
initio dictam esse **cavissam**; post vero, subtracta vocali, **caussam**,  
nomine ipso tris adhuc syllabas retinente; postremo prima et secunda  
syllaba duabusque illis vocalibus litteris in unum coactis,  
vocem ipsam factam esse disyllabam ac nihilominus duplex s mansisse;  
quod tandem leniendae votis gratia simplex extitisset, quando  
duplex ipsum post **au** diphthongum sonaret horridius, praesertim  
e consonante diphthongum praecedente. Ab eodem illo verbo **cavo**  
factam esse primo **cavipam**, vas vinarum, ab eoque **caviponam**  
et **caviponem**, quod **cavis** in locis vel **cavis** dolis vinariam exerrarent,  
e quibus posteriores vocalem **i** detraxissent, indeque esse  
hodie **cupas**, **au** in **u** productum verso, ut **claudio** **cludo**, et **cauponam**  
**cauponemque** et **cauponari**. Eosdem illos locos **fornices** dictos,  
a **foranda** olim vel terra vel saxo, quam a Graeco verbo malebat,  
**fornicesque** ac **cavernas** idem in initio fuisse, pro varietate linguarum  
appellatione non una.  
Venit etiam in sermonem verbi quod est **exanclo**. Videte, obsecro,  
rem unde vir Latinitatis amantissimus repetierit; quod si,  
quae eius est verecundia, repeti a me forte non aequiore fert animo,  
avertat, quaeso, a dicente faciem aut alio paulisper inambulet.  
**Am**, inquit, vocula fuit apud priscos illos idem illud quod nunc  
est apud nos **circum**; inde **hamus**, etsi post differentiae gratia praefixa  
ei fuit aspiratio; inde **annus**, quod in circulum rediret, mutata  
post **m** in semivocalem littoram concinnioris soni gratia. Eodem e  
fonte **amnis**, quod fluviorum cursus plerumque sint flexuosi, et **ambio**  
et **ambulo** et **ambedo**, **ambesusque**, inde etiam **anus**, oscena pars  
corporis ab eius ambitu, et **anulus** et **anus**, vetula, quod propter annositatem  
senilis status corporis a capite proclinet in pedes efficiaturque  
incurva. Ex **anno** vero ductum esse **anniculum**, ut **bimum**,  
ut **trimum**, quasi **biamnum**, et **triamnum**, quae res indicat principio  
secundam **anni** litterarum fuisse **m**; ab **anniculo anniculare**, cumque  
tempestate ea hominum vita esset agrestior magnaeque daretur

[Page 192]

laudi fruges ipsas post annum asservasse, unde **perannare** factum  
esset, formatum primo verbum **exanniculo**, donec ex eo subductum  
fuit **exanclo**, quod verbum relatum esset ad labores, ad pericula,  
ad difficultates. Quid enim difficilius quam vina, triticum, poma in  
alium atque alium annum illaesa perducere aetatemque iis addere  
quibus a natura vix aliqua esset data?  
Addam et hoc: erat quaestio, qua ex origine deducta esset dictio  
haec **imbecillitas**. Animus advertite, quaeso, qua eam via deduxerit.  
**Via**, inquit, dicta principio est, quod ea **vehementur** et homines  
et res quae domum devehebantur initioque fuisse **vehem**; sic etiam  
**vehillam** et **vehicum**, quod illuc veherentur quae colligebantur ex  
agris; ea post mutata sunt in **villam** et **vicum**; factum est etiam

nomem **vehiculum**, quo res ipsae vehuntur. A **via vetus, viator, viaticum;**  
a **villa villicus, villicatio;** a **vico vicinus, vicinitas, vicinia,**  
**vicatim;** quodque senes aetate iam confecti soli absque subsidio  
vehi pedibus suis nequirent, sumptus cum esset ab illis fustis vine  
faciendae, hoc est ambulandi gratia, **baculum** ex eo dictum, quasi  
**viaculum**, qui alio etiam nemine esset **scipio**, a **manus** scilicet **capione**:  
a **baculoque** factum esse nomen **imbecillum**, cui innxi incederent  
qui infirmis essent pedibus; quodque non absque labore ac difficultate  
etiam baculo veherentur, inde quoque manasse **vix**, quae vox est difficultatis  
ac laboris. Ab habitu igitur imbecilli hominis eiusque infirmitate  
deductum esse nomen **imbecillitas** commutatione litterarum.

PUD. Et ex illis quae poeticis sunt de numeris a Syncero dicta et  
quae nunc a te, Summonti, referuntur grammaticis de rebus mirandum  
in modum incendor ardore audiendi aliquid de historia, quae  
nullos adhuc praeceptrores habuerit, cum grammatica, rhetorica,  
philosophia institutores quidem plurimos eosque maximos ac praestantissimos  
viros promeruerit. Ac tamesi scio dictionem eam esse  
multiplicem, nec unius fortuitaeque concessionis, velim tamen non  
oratum modo, verum etiam exoratum Altilium, uti Actio succedens  
in dicendi possessione hac ipsa de re vel edisserat aliquid enucleatus,  
vel saltem, ut dici solet, de ea nobis innuat, dum accuratius  
quippam de historia vel traditum ab eo accipiamus vel nutu ipso  
significatum. Quod tu, Altili, per Musas rogatus perque communem  
hunc consensem, cuius honestandi fuisti semper studiosissimus, nobis  
audiendi tui cupientissimis praestare ne recusaris.

ALT. Nec quid ipse mihi honeris, Puderice, imponas satis consideras,  
et ego inconsideratior fuerim, si tanto subire velim honeri

[Page 193]

humoris tam imbecillis. Quis enim ego sum aut rem ab eminentissimis  
viris reformidatam potius quam intentatam quo aggrediar  
animo? aut eam aggressus quo e priscis vel consultore utar vel auctore?  
Ne tamen aut votis ipsis expertentibus aut loco deesse huic  
videar, innuens quidem, ut tu ipse, Puderice, exigis, potius quam  
praecipiens, dicam de historia aliquid, quodque ipse quidem multa  
de lectione collegerim, magis quam quod auctore nitar aliquo, quem  
nullum, ut video, in hunc usque diem habuit historia. Cuius mihi  
principium a natura ductum videtur, quando insitum est homini  
studium propagandi res suas ad posteros, nativa quadam cum cupiditate  
efficiendi memoriam sui quam maxime diuturnam; qua e  
re nomen id rei Graece fuit inditum. Romani vero, quod per annos  
singulos quae gesta essent mandare litteris consuissent, annales  
initio vocavere, post, accepto Graeco nomine, et ab illis quoque historia  
dicta est, prisco et Latino nomine pene oblitterato. Eam  
maiores nostri quandam quasi solutam poeticam putavere, recteque  
ipsi quidem; pleraque enim habent inter se communia: ut rerum  
vetustarum ac remotarum repetitions, ut locorum, populorum,  
nationum, gentium descriptiones, quin etiam illorum situs, mores,  
leges, consuetudines, ut vitiorum insectationes, virtutum ac benefactorum  
laudes; utraque enim demonstrativo versatur in genere,  
nec minus etiam in deliberativo, quod ipsum condones indicant  
ac consilia, quibus tum poetica tum historia maxime ornatur gloriaturque  
ex iis locupletiorem sese bonis ab auctoribus redditam.

Ad haec repentina casus successusque, ipsi varii atque incerti, consilia  
item diversa quaeque praeter hominum ipsorum opinionem  
plurima contingunt in vita ac rebus gerendis. Nec vero, si poetica  
ipsa multa est in explicandis deorum tum consiliis tum rebus quae  
ab illis administrantur, non historia etiam deorum iras explicit, referti  
prodigia placatque illos votis, supplicationibus, ludis consultique  
eorum oracula; utraque etiam gaudet amplificationibus, digressionibus  
item ac varietate, studetque movendis affectibus sequiturque  
decorum quoque in re ac materia suum. Itaque nentrius magis  
quam alterius aut propositum est aut studium ut doceat, delectet,  
moveat, ut etiam proposit, rem appetat eamque ante oculos ponat,  
ac nuns extollat aliud nunc aliud elevet.

Sed nec in diligendis tum rebus tum verbis iisdemque proprie  
ac decenter disponendis collocandisque altera cedit alteri; historia  
tamen est castior, illa vero lascivior; nec item in ornatu et cultu  
non eadem quoque utriusque sedulitas est et cura, tametsi historia  
cultu tantum contenta esse potest suo, eoque qui sit matrona dignus

[Page 194]

idoneusque continentiae, a fucoque abstineat ac purpurisso,  
quem quidem in altera illa theatra persaepe probant; idque ut  
in puella nequaquam aliquando reprehenditur, dum tamen ipsa intelligat  
quid ingenuam inter et vulgarem intersit.

In verbis item ac sententias altera castigatior, altera ut etiam  
in numeris sic in verbis nunc liberalior est nunc etiam affectatior.  
Nam parum contenta priscis atque usitatis vocibus exultat persaepe  
novandis illis aut peregre afferendis; proposito vero omnino  
pene aut maxime profecto differunt, cum altera veritati tantum  
explicandae, quamvis et exornandae quoque intenta esse debeat,  
poetica vero satis non habeat neque decorum suum servaverit nisi  
multa etiam aliunde comportaverit, nunc ex parte aut vera aut  
probabilia, nunc omnino ficta neque veri ullo modo similia, quo  
admirabiliora quae a se dicuntur appareant. Hoc tamen ipso mirifice  
conveniunt, quod utriusque propositum est quod suscepit dicendum  
illustrare et quoad possit sempiternum id efficere. Numeros  
quoque utraque suos, habet itemque dicendi figuras, diversa tamen  
ratione. Ordine quoque enarrandarum rerum differunt inter se, cum  
historia rerum gestarum ordinem sequatur ac seriem, at illa altera.  
persepe mediis, non nunquam etiam pene ab ultimis narrandi  
principium capiat, assumens etiam extrinsecus personas pro rei  
ipsius natura, ut deorum, nympharum numinumque aliorum, ut  
vatum furentiumque. Quid? quod vocem quoque dat et orationem  
rebus mutis, divinitatem tribuit insomniis, Deos etiam ipsos mortalibus  
instruit affectionibus. Quae quidem omnia apud Graecos  
Homerus, apud nostros Virgilius passim ostendunt; una vero re  
potissimum sibi ipsae conciliantur, quod utraque naturam sequitur,  
qua magistra et duce ambae quoque variatati student, cum ea ipsa.  
natura cum primis varietate laetetur et decorum illud quod ab  
eadem rei est cuique attributum cum venustate sequatur ac dignitate  
etiam summa.

Haec habui quae dicere in universum de re hac liceat et tanquam  
vobis innuens, qui una hic adestis, significare. Reliquum est,  
quoniam historiam poeticam pene solutam esse quandam de maiorum  
auctoritate dixi, ut, quoad vires meae tulerint et locus hic patitur,  
talem esse eam exemplis quoque ipsis edoceam. Licit autem  
in Livio Sallustioque, historiae Romanae principibus, diversa splendescant  
claritate quae historia digna sunt lumina dicendique in altero,  
maiestas heroica pene quaedam emineat atque uterque fuerit  
poeticæ admodum studiosus (cum ille poeticis non solum numeris

[Page 195]

scripta sua, verum etiam integris quandoque exornet versibus, hic  
Empedoclea in Latinum, ut Aratea Cicero, converterit neque poeticis  
abhorreat a figuris), tamen Livius in plurimis oratori similior  
est, Sallustius vero historicis tantum legibus ubique videtur addictus.  
Uterque tamen opus suum poeticis auspiciatus a numeris, ille a semiversu  
dactylico, qui est: «*Facturusne operaे pretium*», hic vero  
alter ab integro hexametro lugurthina in historia, quem tamen ita  
refersit spondeis, praeterquam quarto in loco, ut vix agnoscatur  
esse hexameter, gravitatem tamen illam spondaicam retinuit inquiens:  
«*Bellum scriptures sum, quod populus Romanus*», quae  
verba heroicum senarium, gravem quidem numeris verbisque maxima  
accommodatis constituant.  
Huius igitur exemplis si utar familiarius, vestrum quidem mirari  
debuerit nemo. Igitur cum in unaquaque ad dicendum suscepta  
materia primum sit poetæ officium proponere qua sit de re explicaturus,  
quod quidem docuit Virgilius, cum dicare est orsus:

«*Arma  
virumque cano*»,

idem a Sallustio servatum intelligo, cum et ipse,  
quod paulo est ante dictum, coepit

«*Bellum scriptures sum quod  
populus Romanus cum lugurtha rege Numidarum gessit*».



Atque, ut  
illo causam susceptae a se materiae statim asserit, difficillimos scilicet  
Aeneae errores bellumque summis viribus, maximis etiam periculis  
ab illo administratum, post quos eventus multiplicesque successus  
urbs Roma esset condita (hoc enim versus illi p[ro]ae se ferunt  
«*multum ille et terris iactatus et alto*»), sic et hic ipse Sallustius suscepti  
causam reddit operis inquiens:

«*primum quia magnum et atrox variaque Victoria fuit, deinde quia tum  
primum potentiae nobilitatis obviam itum est; quae contentio divina et humana  
cuncta permiscuit eoque vecordiae processit ut studiis civilibus bellum  
atque vastitas Italiae finem fecerit*».

Quid? Livius ab exordio quam primum secundi belli Punici  
nonne heroico quasi quodam cum supercilie ait:

«*In parte operis mei licet mihi praefari, quod in principio summae totius  
professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime omnium memorabile  
quae unquam gesta sunt me scripturum, quod Carthaginenses Hannibale  
duce cum populo Romano gessere. Nam neque validiores opibus ullae  
inter se civitates gentesque contulerunt arma neque iis ipsis tantum unquam  
virium ac roboris fuit; et haud ignotas belli antes inter se expertas primo Punico  
conserebant bello et adeo varia belli fortuna ancepsque Mars fuit, ut  
proprius periculo fuerint qui vicerunt*»?

[Page 196]

Altiores quoque repetitiones praesentique ab negocio longius remotarum  
rerum susceptae enarrationes et poeticae et historicae  
facultatis inter se necessitudinem quasi quandam arguunt. Declarant  
hoc et Virgilius et Sallustius, alter cum exorditur:

«*Rex arva Latinus et urbes  
Iam senior longa placidas in pace regebat.  
Hunc Fauno et nymphe genitum Laurente Manica  
Accipimus*»,

alter cum lugurthino in bello, post redditas suscepti a se operis  
causas, repetendo incipit:

«*Bello Punico secondo, quo dux Carthaginem Hannibal, post magnitudinem  
Romani nominis, Italiae opes maxime attriverat, Masinissa, rex  
Numidarum, in amicitiam receptus a Publio Scipione*».

Et in Catilinario:

«*Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere acque habuere initio Troiani,  
qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur*».

Ad haec, quid cognatus quam quod uterque et poeta et historicus  
affert in medium causas edisseritque rationes antequam enarrare

quam scribendam suscepit rem incipiat? In ipso Virgilius initio explicat errorum ac laborum Aeneae causas ac Iunonis irarum:

«Urbs  
antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni, / Carthago»

usque ad eum versum:  
«Tantae molis erat Romanam condere gentem». Et Livius:

«Odiis prope maioribus certatum est quam viribus, Romanis indignantibus  
quod victoribus victi ultiro inferrent arma, Poenis quod superbe avareque  
crederent imperitatum victimis esse»

quaeque alia de Hannibalis indignatione referuntur ob Siciliam Sardiniamque amissas. Idem quoque indicant descriptiones locorum, gentium, morum, legum, quod et ipsum Sallustius docuit, cum dixit:

«Res postulare videtur Africae situm paucis exponere et eas gentes quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit attingere».

[Page 197]

Et Virgilius:

«Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,  
Terra antiqua, potens armis atque hubere glebae».

Quid autem solutae poeticæ tam simile quam Livianum illud:

«eaque uti rata scirent fore, agnum laeva manu, dextra silicem retinens, si falleret, lovem coeterosque precatus deos, ita se mactarent quemadmodum ipse agnum mactasset, et secundum precationem caput pecudis saxo elisit»?

Quid tempestatis illa nimbique explicatio:

«Dein cum iam spiritum includeret nec reciprocare animam sineret, aversi a vento parumper consedere. Tum vero ingenti sono coelum strepere et inter horrendos fragores micare ignes; capti auribus, oculis, metu omnes torpere»?

Nam quid per Musas, o viri optimi, ex omni est parte magis illo poeticum:

«Ex propinquo visa montium, altitudo nivesque coelo prope immistae, tecta informia posita in rupibus, pecora iumentaque torrida frigore, homines intonsi, inculti, animalia inanimaliaque omnia rigentia gelu, coetera visu quam dictu foediora»?

Utque poeticum omnino possis dicere, heroicis etiam numeris res ipsa clauditur: «Ingentemque fugam stragemque dedissent». Fuit enim omnino poeticus Livius in toto transitu in Italiam Hannibalim describendo, et cum ipse tum viros equosque transeuntes Rhodanum describit, ingenti sono fluminis, clamore vario nautarum

ac militum, et qui nitebantur prorumpere impetum fluminis  
et qui ex altera parte ripae transeuntes suos hortabantur, tum  
etiam elephantes, quibus

«*primus erat pavor, cum soluta ab coeteris rate in altura raperentur, ibi urgentes  
inter se, cedentibus extremis ab aqua, trepidationem aliquantum edebant,  
donec quietem ipse timor circumspicientibus aquam fecisset».*

Animadvertisse adhuc, quaeso, quibus Hannibal milites affatur  
verbis:

«*mirari se quinam pectora semper impavida repens terror invaserit; nullas  
prefecto terras coelum contingere, coli Alpes, gignere atque alere animantes;*

[Page 198]

*eos ipsos quos cernant non pennis sublime elatos Alpes transgressos; ne maiores  
quidem eorum indigenas, sed advenas Italiae cultores ingentibus saepe  
agminibus cum liberis ac coniugibus migrantium modo tuto transmisisse.  
Romam orbis terrarum caput potentibus quicquam adeo asperum atque arduum  
videri quod inceptum moretur?».*

Quid cum ait:

«*Equi maxime infestum agmen faciebant, qui et clamoribus dissonis, quos  
nemora repercussaque valles augebant, territi trepidabant, et icti forte aut  
vulnerati adeo consternati sunt, ut stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum  
omnia generis facerent?*»

Quid etiam:

«*cum caedendum esset saxum illud, arboribus circa immanibus deiectis detruncatisque,  
struem ingentem lignorum faciunt, eamque, cum et vis venti  
opta faciendo igni coorta esset, succendunt ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt;  
ita torridam incendio rupem ferro pandunt molliuntque anfractibus  
mollibus clivos?*»

His haudquaquam grandiora plenioraque apud Virgilium leguntur,  
ubi Aeneam ab Antandro in Italiam devehit per tempestates,  
scopulos Harpyiarumque portenta ac Cyclopum, ne cum ipse quidem  
ait:

«*vastumque cava trabe currimus aequor.  
Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius ulla  
Apparent terrae, coelum undique et undique pontus»,*

aut cum:

«Tristius haud illis monstrum nec saevior ulla  
Pestis et ira Deum Stygiis sere extulit undis.  
Virginei volucrum vultus, foedissima ventris  
Proluvies, uncaeque manus et pallida semper  
Ora fame».

Neve cum intonat:

«Haec loca vi quondana et vasta convulsa ruina  
(Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas)  
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus  
Una foret; venit medio vi pontus et undis  
Hesperium Siculo latus abscidit arvaque et urbes  
Litore diductas angusto interluit aestu»;

[Page 199]

aut cum:

«horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,  
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,  
Turbine fumantem piceo et candente favilla,  
Attollitque globos flammarum et sidera lambit.  
Interdum scopulos avulsaque viscera montis  
Erigit cruetans liquefactaque saxa sub auras  
Cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo».

Quid quod hic idem Livius, quasi gemmis quibusdam, nunc verbis omnino poeticis, nunc figuris ac numeris insignit orationem atque illustrat historiam? ut cum ait: «anceps Mars» et:

«agitare animo  
bellum»

et: «tela micare» et: «dempto hoc fulgure nominis Romani»  
et: «circumferebant ora oculosque» et: «pandi agmen coepit» et:  
«non Manes, non stirpem eius conquiescere viri» et:

«hunc iuvenem  
tanquam furiam facesque huius belli»

et: «iride equitum certamen erat»  
et: «haec ubi dicta dedit» et:

«cum Poenis bellum pro nobis  
suscipiat».

Ex his itaque perpaucis, quanquam videri haec ipsa multa quidem testimonio atque auctoritate possunt sua, satis tamen, ut arbitror, factum est ei parti quam probandam suscepi, haud male sensisse eos scilicet qui historiam censeant poeticam quasi quandam esse solutam. Quocirca, quod cum voluntate et gratia, Puderice, fiat tua horumque omnium qui dicentem me vel mussantem potius audiere tam attente et, ut video, tantum prae se ferunt audiendi studium, ad ea iam transeamus quae a me potius observata quidem sunt quam quod ea praeepta quasi quaedam institutaque

scribendae historiae existimari velim aut ex me ipso profecta et tradita.

PUD. Et me hoc, Altili, volente feceris et his ipsis qui tam intente atque avertere audiunt praecipue cupientibus. Coeterum Marcus Cicero locuples nobis auctor esse potest

*poetas alia quadam  
lingua locutos.*

Itaque videndum etiam atque etiam relinquitur, si poetae alia quam quae oratoris propria est locuti sunt lingua, quonam modo historia poeticae erit quasi cuiusdam solutae similis. Locus igitur expurgandus hic tibi prius est scrupusque, Altili, excutiendus, nisi forte, posthabito Cicerone, Livius tibi unus satis futurus est ad haec et credenda et comprobanda.

[Page 200]

ALT. Et Livii testimonio contenti esse unius possumus et Cicero minime est abiiciendus, vir ad omne genus eloquentiae genitus naturae ipsius munere atque ipsius Livii magister et doctor. Ac tute quidem ipse meminisse potes Ciceronem exigere maius quiddam in historia quam quod in annalibus pontificum aut in Fabii, Antiatis, Caelii ac Sisennae scriptis appareret. Nam de Sallustio omnino nihil, sive quod post Ciceronis obitum historias is scripserit, sive propter simultates, quodque ille ipse viveret, silentio eum praeteriit. Ipsum igitur illud maius quod a Cicerone desideratur praestitere postea eorum studia qui poeticae ornamenta et cultum sibi ante oculos posuerunt scriptitandae historiae, non verba quidem confragosa illa et perquam glutinata inter se, theatris apta, non senatui, ut **ferriclavē postē**, ut **hastas belliferratas**, ut **spumivomos fluctus**, ut **fluentisōna litora**, ut talia haec gignendae permulta admirationi inventa, sed magnitudinem poetarum, sed varietatem descriptionesque locorum ac gentium, sed evagations, amplificationes, digressions, ornatura decorumque illud praecipue cui poetae in primis videntur inservire. An, quae so, tranandas erat Hannibali Rhodanus sine strepitu, clamore, tumulto nautarum ac militum, sine pavore et consternatione elephantum, sine casa denique unius atque alterius in amnem e rate beluae? Videlicet traiciendae erant Alpes sine tempestate, sine nimbis frigoribusque, non frangendum erat incendio prius, insperso post acetō putrefaciendum saxum illud immane, tantis copiis, tamque excellenti duci obvium? non adeundum promontorium illud immane, coelo proximum, omnis e quo despiceretur Italia, in cuius vertice constitutus Hannibal suos cohorturetur Romamque orbis caput illis ostentans diripiendam, magna etiam oratione, obiiceret offerretque?

Hoc sibi vult igitur solutae poeticae similis historia, hoc desiderabatur a Cicerone, ac caruerunt laude et dignitate Caelius, Antias, Sisenna. Ac mihi quidem videtur Herodotus poetarum in scribendo instar habuisse, dum, contemptis qui ante se scripserant historicis, magnitudinem assecutus est illam et varietatem et ornatum et cultura a Cicerone desideratum. Et qui dicit poeticam picturae esse similem num ideo dicit aut illud sentit, quod poeta usurus sit coloribus quibus pictores utantur adumbrandis atque informandis rerum imaginibus? Quin de varietate loquitur, de collocatione, de dignitate, vetustate, informatione, habitu, quibus in effigendis rebus poetae pictorum more atque ad illorum exemplum

[Page 201]

uti debeant. Nec verba quoque non sibi a poeta quandoque mutuabitur diligens rerum scriptor, pudenter tamen ac tenerimo cum delectu, ut cum dixit Sallustius: «*tuba hosticum cecinit*», et: «*tela utrinque volare*», et: «*strepitus armarum ad coelum ferri*», et: «*fors omnia regere*». Nonne descriptio illa Africæ mera est et soluta poetica?

*«mare saevum, importuosum, ager frugum fertilis, bonus pecori, arboribus  
infoecundus, coelo terraque penuria aquarum, genus hominum salubri corpore,  
velox, patiens laborum; plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut  
bestiis interiore».*

Anne tibi Virgilianum illud videatur aliud, nisi quod solutum non est?

*«Durum a stirpe genus, natos ad flumina primum  
Deferimus saevoque gelu duramus et undis;  
Venatu invigilant pueri silvasque fatigant,  
Flectere ludus equos et spicula tendere cornu.  
At patiens operum parvoque assueta iuventus  
Aut rastris terram domat aut quatit oppida bello.  
Omne aevunt ferro teritur versaque iuvencum  
Terga fatigamus hasta nec tarda senectus  
Debilitat vires animi frangitque, vigorem.  
Canitem galea premimus semperque recentis  
Convectare iuvat praedas et vivere rapto».*

Quid cum paulo post idem ait:

*«Africam in initio habuere Getuli et Libyes, asperi in cultique, quibus cibus  
erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus; hi neque moribus neque  
legibus aut imperio cuiusquam regebantur; vagi, palantes, qua nox coegerat,  
sedes habebant»?*

Quid magis poeticum dicas, nisi quod poeticis absque numeris?

Age, quaeso, et aliud:

*«Erat inter ingentis solitudines oppidum magnum atque valens, nomine  
Capsa, cuius conditor Hercules Libys memorabatur; eius cives apud lugurtham  
immunes, leni imperio et ob ea fedelissimi habebantur; muniti adversum  
hostes non moenibus modo et armis atque viris, verum etiam multo magis  
locorum asperitate, nam praeter oppido propinqua alia omnia vasta, inulta,  
egentia aquae, infesta serpentibus, quorum vis, sicuti omnium ferarum, inopia  
cibi acrior. Ad haec natura serpentium ipsa satis perniciosa, siti magis  
quam alia re accenditur».*

[Page 202]

Descendit Crispus Romanae, ut putant, pater historiae, descondit  
inquam, ad serpentes atque illorum naturam attingit, quae siti  
aestuque maxime incendatur. Ne hoc mea quidem sententia minus  
poetice, perite, ornate quam a Virgilio illustre illud de asilo:

*«Est lucos Silari circum illicibusque virentem  
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo  
Romanum est, oestrum Graii vertere vocantes,  
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis  
Diffugiunt armenta».*

Libentissime quoque ac peringenue Sallustius verba figurasyne,  
 numeros item a poeticis mutuatus est, ab illis praesertim qui annales  
scripsere, aut cum ait: «signum tuba dat», et:

«ignoto atque  
horribili sonitu repents exciti»,

et «iamque dies consumptus erat»;  
item: «Et sane Marius illoque aliisque temporibus»; qui si diebus dixisset,  
senarium integrum heroum apte canoreque fudisset. Illa vero  
quantopere heroica:

«Spectaculum horribile in campis patentibus: sequi, fugere, occidi, capi,  
postremo omnia qua visus erat constrata telis, armis, cadaveribus et ea inter  
humus infesta sanguine»!

Nesciam tamen quonam modo minus haec extant in Sallustio  
nec tam apparent atque exposita sunt quam in Livio, ut alter quodammodo  
prae se ferre velit artem poeticaeque imitationem, alter  
celare eam, ut tanquam in nubecula delitescat. Et vero oratoria  
ipsa, quamvis sit a poetis munerositatem illam generosam ac dignitatis  
plenam, ut a primis eloquentiae cultoribus mutuata antiquissimisque  
dicendi magistris, cum primis tamen rerum gestarum scriptores  
ea seque resque suas fecere magnificas; ut interdum generositas  
illa eorum sermonis videatur solis pene e numeris constare in  
iisque tantum consistere, ut cum sit Livius:

«Nam neque validiores opibus ullae inter se civitates gentesque contulerunt  
arma, neque in iis ipsis tantum unquam virium ac roboris fuit, et haud ignotas  
belli artes inter se, sed expertas primo Punico conserebant bello».

Quid his numeris plenius, dignius, addo et generosius? non minus  
tamen latine et haud minore cum ornatu dicentur et copia, si quis  
dixerit:

«Nam neque validiores opibus ullae inter se civitates gentesque  
arma contulerunt, neque in iis ipsis tantum unquam virium

[Page 203]

fuit ac roboris, neque ignotas bellum artes inter se, sed expertas primo  
bello Punico conserebant».

Verum subtractis iis spondeis et numeris  
commutatis, omnis illa generositas nescio quomodo interit,  
decidit orationis supercilium. Atque his quidem numeris excellit  
in historia Livius et tanquam inter alios exultat. Ne te igitur  
animi dubium Cicero aut minus tibi te in hoc constantem faciat,  
quod poetas alia lingua usos dicat, scrupulum excute omne atque  
ex animo eiice deque forensibus illum actionibus, haud de historiis  
locutum tibi persuadeas velim. Nam et a Roscio illo motum, gestumque  
discendum oratori ad imitandum in agendo, ubi causa  
ipsa exigat, non videatur esse Ciceroni alienum, nec inficiabimur  
tamen Graecos poetas oratoriis a verbis ac dicendi figuris quam  
nostros multo abesse longius viderique alia quasi quadam lingua  
locutos.  
PUD. Et perpurgatus est hic a te, Altili, locus sentesque excisae  
sunt omnes et evagari iam tuto potes certis minimeque labentibus  
vestigiis, neque verendae offensiunculae, cum libera a scrupis ipsis  
sit via.  
COMP. At ego passurus minime sum, Altili, evagari te ulterius,  
exultareque extra, praescriptos fines, cumque sis ipse grammaticorum

grammaticissimus, tui te oblitum non perferam, dum quae princeps est disciplinarum omnium, ut historiae satisfacias, o iure, auctoritate finibusque pene eiicis grammaticam suis. Habenda est igitur et tibi et nobis omnibus qui hic assumus illius ratio conservandusque ei debitus in disserendo locus, Antoniana lega hoc ipsum sanciente. Etenim idem ipse Cicero **axillam** ait factum esse **ahalam**, fuga litterae vastioris. Quid (malum!) si vastior **x** est littera, si elementum minime simplex, in multis ea cur abutimur? Cur qui Graece est ????????? fuitque apud priscos Latinos **Ulysseus**, duplicata **s** littera factus est nunc a quibusdam **Ulyxes**? Cur a **sessu**, hoc est **sessione** si fiat **sexus**, quod sedendo, ut quidam volunt, occulatur pars ea corporis nostri quae est oscenior, litteras non retinuit suas? neque enim **x** refert **s** duplicatum, sed tum c s tum etiam **g s**. Scimus omnes perantiquam fuisse dictionem **pessum**, a qua digiti **pessuli**, quasi **pedessum** a calcandis **pedibus**, unde **pessundare** datumque verbum ipsum opprobrio atque ignaviae deque eo formatum nomen **pessimus**; cur sonum eius evstant **x** littera accepta? A **magnō** deduxere primi illi **magnior** et **magnissimus**, quae votes postea contractis

[Page 204]

dictionibus ac subductis litteris fuere **maior** et **massimus**; cur passae sunt aures doctissimorum hominum audire tam diu **x** litterae vastitatem? nam si a **massa** deductum sit nomen **maximus**, idem erit abusus, cum **massa** dicta sit a **magnō**, eaque fuerit in initio **magnissa**, vel Graeco modo ???? Cur **elixare**? nam a **liquo**, **liquas** principio fuit **liquasso**, ut a **levo**, **levas**, **levasso**, post subtractis litteris **lisso** et **elisso**; cur, inquam, et in his vasta assumpta est atque asperius sonans littera? Cur in his quoque, **palus**, **velum**, **paulum**, **talus**, **mala**, **I** mansuetioris litterae loco, accepta vastiore, abusu ex illo **paxillum**, **vexillum**, **pauxillum**, **taxillum** ac **maxillam** dicimus, quando concentus ipsius suavitate capiantur aures mulceaturque audiendi sensus etiam concidendis quibusdam atque decurtandis vocibus? Fuit primum a **sistendo** **sistlocus**, post **stlocus**, factus est postremo **locus**, repudiato confragoso sonitu. Eadem deductione et via a **sistendo** **sistilitis**, quod sistendum esset in iudicio ad praetorem, inde fuit **stlitis**, post **litis**, ultimo **lis**, perconcinne quidem et commode. An non initio humani oris pars inferior, quod loquentibus atque edentibus aut etiam hiantibus nobis moveretur, dicta est **movimentum**, quae postmodum fuit **mentum**? Quid autem mirum in sono et litteris factam esse ruinam, quando in significationibus quoque ipsis haud secus contigerit, neque recentioribus tantum seculis, verum etiam et priscis? Etenim dictionibus his: **amabilis**, **nabilis**, **flexibilis**, **vulnerabilis**, **reparabilis**, **flebilis**, **revocabilis** aptitudo quasi quaedam, inest ad patiendum vel innata potius vis quaedam apud Latinos homines; non dubitavit tamen Virgilius, populo ut morem gereret etiam aberranti, dicere: **penetrabile frigus**, quod vim habeat penetrandi; non alii poetae: **telum exitibile**, quod exitum afferat; non scriptores alii, quibus minus concessum est decidere e via. Itaque passim audias: **risibilem hominem**, **hinnibiles equos**, **sensibile animal**, deflexa ad agendum a patiendo significantia, quamvis postremum hoc Lucretiana auctoritate non caret. At contra miramur in Virgilio: **incana menta et incurvum aratrum**, quod in his **in** suam augeat significationem; ac si non et Cicero dixerit **infractum**; ut qui vehementer esset **fractus**. Quae quidem vox, ut nomine omittam, compangendis atque ineundis verbis augere solet, non imminuere, affirmare, non inficiari. Idque licet videre enumeratis vocibus, quacunque a littera incipientibus: **inhabito**, **inambulo**, **imbibo**, **imbuo**, **incido**, **incutio**, **indo**, **induco**, **inhaereo**, **inest**, **influo**, **infero**, **ingerō**, **ingluvies** (est enim **ingluvies** a verbo **inglubo**), **inhio**, **iniicio**, **illido**, **illudo**, **immitto**, **immuto**, **innatus**, **innato**, **inolesco**, **inhorreo**, **impello**, **impingo**, **inquino**, **inquo**, **irruo**,

[Page 205]

**irretio**, **instillo**, **instruo**, **intego**, **intorqueo**, **inuro**, **invenio**, **invado**. Quid tu, Summonti, defesso mihi enumerandis his non affers suppetias? Non et ipse grammatica locum tueris? SUMM. Evidem ego illud ubique et sensi olim et hodie quoque sentio, litteratores nostros aberrasse non parum ab antiqua enuntiatione et sermone; concedendum tamen in plurimis esse populo usumque in multis sequendum, potius quam rationem aut artem, quippe quae nata sit ab observatione. Atque de vasta ut littera

dicam quod sentio, ea elementum minime simplex est, verum conglutinatio  
quaedam atque ad imminuendum in scribendo labore  
inventa; nam initio cum fuisset in primo casu **calcis, lancis, arcis**,  
ut **plebes**, ut **scrobes**, ut **trabes**, quae nunc sunt **plebs, scrobs, trabs**,  
post subtracta littera *i* mansere **calcs, lanks, arcs**; inde inventa nova  
est figura, quo una duarum subiret et vicem litterarum et locum,  
scribique coeptum **calx, lank, arx**.

Et quoniam in hunc sermonem incidimus, repetam hac in parte  
pauca quaedam, etsi fortasse remotiora, neque iniucunda tamen,  
neque aliena ab umbratili hac aestivaque concessione nostra. Sermo  
coepit primum noster ab incultis et rusticis, imo agrestibus ab  
hominibus; utque eorum erant rea inopes, angustae, egenae, sic  
quoque sermo ipse inops minimeque affluens, verborumque perpaucorum  
ac sine ullo prorsus eorum excolendorum studio et cura.

Crescentibus post artibus atque hominum rebus actionibusque, quod  
sermo esset ipse et componendus et maturandus, factae sunt praecisiones  
tum syllabarum, tum litterarum, non ab ipsis modo vocum  
principiis, verum etiam desinentibus a syllabis.

Principio enim constitutiones formaeque appellationum haudquaquam  
fuere quales nunc sunt, finalibus praesertim litteris. Nam quae  
sunt hodie **faex, grex, dux, rex, emax, vendax, fallax, minax** fuere  
primis illis seculis in casu nominante **faecis, gregis, ducis, regis, emacis**,  
**vendacis, fallacis, minacis**; amputatis contractisque post litteris,  
decurtatae terminaciones sunt, utar autem Ciceroniano verbo. Qua e  
re id etiam secutum, ut figura haec, quod dixi, duplex quidem ea sit  
inventa minuendi laboris gratia scriptumque **faex, grex, dux, rex, emax**,  
**vendax, fallax, minax**, quae voces prius habuerant **cs** aut **gs**. Excultioribus  
enim seculis contraxere **adeps**, quod nomen ante **adepis** fuerat,  
et **abs**, cuius postea locum subiit **ab**, et **ex**, cuius loco et vice **e** utimur,  
et **ast**, pro quo quibusdam magis placuit **at**, quod sonus ille esset  
vastior. Quid quod **donicum** fuit quod nunc est **donec, sedum** quod

[Page 206]

est **sed, sicce** quod est **sic, etiam** pro quo **et, sat** quoque quod fuerat  
**satis, lac** quod **lacte, tribunal** quod **tribunale, animal** quod **animale**,  
**sal** quod **salis, nil** quod **nilum, far** quod **farre?** Quid quod **forsit** pro  
**forsitan?** quo non Horatius modo popularibus in sermonibus, sed  
Propertius in amatoriis est usus, cum dixit:

«Iste quod est ego saepe fui, sed forsit in hora  
Hoc ipso electo carior alter erit».

Nec vero primarum tantum atque ultimarum sive litterarum  
sive syllabarum factae sunt amputationes, dum aut brevitati consultur  
aut suavitati, verum a mediis quoque. Quidnam, quaeso,  
nunc est **taberna**, nisi quod olim **tabulerna**, facta litterarum subductione?  
Quid **venter** nisi **vehenter**, quod se implendo **evehat** in cibum  
absumpta, unde ventrem exhonerare dicuntur qui excrementa  
eiiciunt? Quid **vultus** nisi **voluntus**, quod animi **voluntatem** indicet?  
Quid **lautus** nisi **lavatus**, a sorde scilicet liber atque extersus? Quid  
**coxae** nisi **coissae a coeundo**, vel in ipsa libidine, vel quod hinc illincque  
coeant ad oscenas partes vehendo corpori? Iam vero **fortuna**  
a **ferendo** dicta, et mutatis et subtractis litteris quasi **ferentuna**;  
terra **pulla**, quasi **pulvilla**, idest resolubilis et in pulverem versa,  
qualis est terra Campana, ut ait Columella, quae nequaquam nigra  
est, ut quidam perperam arbitrantur, sed resolubilis et putrida,  
quaequa saepius arata in pulverem abit. Est et **columna a columine**,  
quae fuit **columna**; et a **pascendo pabulum**, quod fuit **pascibulum**;  
et **panis pascinis**; et **pasta panista**; et **vinum a vite vitinum**; et **vinea**  
**vitinea**; et a **ferendo ferculum, fericulum**, quod in pompis ferantur  
fercula; **poculum** item **potaculum, flumen fluimen, tegmen**  
**tegimen, semen serimen, discrimen discernimen**; nam **prosa** quid  
est aliud quam promissa oratio? An, quaeso, meditari est aliud  
quam in **medio** itinere aliquid itando aut altere aut cogitare, quod  
est occupati animi aliudque quam iter agitantis? Quid est etiam  
aliud **foenum** nisi **fovenum**, quo scilicet **foveantur** animalia hieme?  
quid **foetus** nisi **fovetus**, quod a matribus **foveantur**? retinetque propterea  
diphthongum **oe**; nam in primo verbo cum insit littera **o**, subtracta  
**v** littera, relinquitur **oe**. An non **postes** sunt a **positu** quasi  
**posites**? ac **testis, tecum sto** aut pro **te sisto**? nam et testes sistebant

olim apud praetorem. **Tela** nonne **texula**, ut **tegula**, ut **regula**? **Cliens** nonne **coliens**, quod patronum utique coleret suum, e Romuli constitutione? **Castra** sunt qui putent a servanda **castitate** dicta, ambitiose

[Page 207]

sane, quippe quae sint a **claudendo**, claudebantur enim vallo et fossa. Sic et **casteria**, locus in triremi, sic etiam vallis illa **Caudina**, quod sit undique clausa montibus hodieque ex eo vocatur **Caudium**. Sic quoque et **castellum**, quod fossa claudatur et muris; erant etiam in aquarum ductibus **castella**, quod in iis aquae concluderentur, unde post largius affluenter. Atque ut a **dio dies**, sic a **gladio gladies**, pro qua est clades; fuitque **stratages**, pro qua est **strages**; et **stragulum**, pro quo **stragulum**; et **stratamen**, pro quo **stramen**; quin etiam **sarriculum**, pro quo **sarculum** et **noviper** pro quo **nuper**; et **sequeculum** pro quo **seculum**, hoc est annorum multorum series ac sequela, qua in voce qui diphthongum **æ** scribunt male omnino sentiunt; neque enim prima eius producitur quod diphthongum habeat, sed quod veteres poetae geminaverunt in ea voce litteram **c**, quemadmodum in **religione** et **reliquis I** et in **propagine p**, cum harum producunt primas syllabas, utque Lucretius **refficit** et **reducit**. An quia quod imminutum fuit e litteris, cum **seculum** in initio fuerit, ut dixi, **sequeculum**, adiectum sit postea tempori hoc est quantitat? quod in multi aliis est servatum. Sed dies me deficiat iis enumerandis.

Sermonem autem quo utimur ab agrestibus ac rudibus coepisse hominibus, illud declarat potissimum, quod pleraequo e primis illis impositionibus sunt rusticis incontisque a rebus sumptae. Iam primum **palam**, **saepe**, **e vestigio** rusticorum quidem sunt inventa hominum; nam quod **saepe** spissa esset et densa, dixerunt **saepe pro frequenter** indeque et **saepissus spissus**; **e vestigio** pro **statim**, quasi non minus cito quam **e vestigio** pela dimoveatur; **palam** aperte, quod sit aperta quidem ac protenta **pala** nihilque cavum habeat aut complicatum in quo latere quid collocatum possit. Nam **penes**, id est in manu atque in potestate, fuit olim, quod quidem ipse iuraverim, **penest**, accommodatum rudibus ab hominibus ex asinorum et iumentorum caudis, aut manu praehensis, unde fuit **manucapio**, aut capistro colligatis invicem; mos est enim alterum iumentum alterius caudae illigare, ne digrediendi illis sit potestas; post vero detracta littera **t**, mansit **penes**. Et **cernere**, unde **decernere** et **certare**, quae senatoria sunt atque imperatoria verba, indeque et **decreta** et **certamina**, manavit initio a **cernendis** leguminibus. Et **serere**, et **pangere** ruris sunt arborumque et seminum, e rure tamen in urbem atque a rusticis ad urbanos venere; et **series** rerum; et **sermo**; et **sermocinatio**; et **dissero**; et **disertus**; et **pangere** versum; et **pagina**; et **pagella**; quin etiam litterarum exaratio. Quodque pastores cogerent

[Page 208]

pecudes gregatim compascere, non sparsim, inde **compescere** est continere; quodque **vehendis** ex agro in oppida et vicis rebus instanter darent operam, factum est **vehestigo**, quod erat tunc eandem viam insistere eaque saepius itare; nam et **via** initio fuit **veha**; factum item est **vehestigium**; quae nunc ademptis syllabis sunt **vestigo** et **vestigium** eaque ab iumentis atque a curribus in scolas profecta philosophis etiam recepta sunt. Atque illis quidem seculis satis habebatur quali res cumque appellatione notare, nulla cum esset quantitatis ac temporum aut suavitatis cura formandis vocabulis. Quam post et curam et cogitationem primi poetae suscepere, dum urbanitatis suscipiunt patrocinium, donec senatus ac fori maiores agitatores atque actiones peperere eam quae post dicta est eloquentia. Qua quidem in explicatione, etsi latissimus mihi sese offert campus, tamen quod et petenti subsidium Compatri videri potest satis pro virili factum esse, cum etiam brevis haec refrigeratio fuerit, Altilio nostro non ingrata, et quod Puderici supercilium non est contemnendum, quem video grammaticis non satis aequum, loquendi possessionem tuumque ad continuandum de historia locum, Altili, et volens et libens tibi restituo. ALT. Et refrigeratio ipsa fuit mihi pergrata et te interim vetustissimas repetentem res iucundissime audivi. Nam et ex iis quae explicasti principiis nata est historia, quae rudis in initio ipsa fuit, sine cultu, sine copia, nulla adhibita artis industria, per exigua etiam naturae; quippe cum ea cura pontificibus tantum esset demandata

iique annis singulis quae gesta essent notabant populoque exponebant cognoscenda. Cui post et Piso et Fabius et Cato non ita multum addidere ornamenti, ut generis scribendi eorum magna fuerit a posterioribus ratio habita. Ne multo quidem quam horum maior habetur a Cicerone Caelii, nec Sisenna eius implet aures, quanquam vocaliorem is historiam fecit, cui, ut Ciceroni ipsi videtur, maiorem quandam Caelius sonum vocis addidisset. Ad haec Sisenna parum libero ore locutus Sallustio videtur, cum sit historiae e Ciceronis sententia prima illa lex

«ne quid falsi dicere audeat, deinde  
ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne  
qua simultas»;

atque hi quidem progressus Romanae fuere historiae ad Ciceronis usque tempora. Nam de Graeca illi viderint qui Graece praincipiant; de qua tamen et Cicero ea attigit quae satis esse, Latinis nobis videri possint. Itaque, his sic dictis, me vobis

[Page 209]

reddo, sive admonens sive innuens pauca quaedam, ut dixi utque sum pollicitus, potius quam ut qui videri velim praecepta tradidisse. Principio, ut natura ipsa rerum generationi consulens suo quodque in genere perficere ac consummare nititur, in aliis tamen aliud eius atque aliud est propositum, sic dictio omnis et scriptio eo spectat, ut bene consummateque et dicatur et scribatur; alibi tamen, hoc est forensibus in causis, ut consummate dicatur etiam ad persuasionem, alibi ad laudationem approbationemque, ut in eo genere quod demonstrativum dicitur. Atque in historia, cuius prima cum sit lex neque in gratiam loqui neque opticere odio vera aut ea dissimulare, efficitur ut laudentur quae sint commendatione digna, suo quidem et loco et tempore utque improbentur turpiter atque imprudenter facta; alterum sine spe, sine pretio, alterum sine similitate et metu; ita uti et tuae pariter et illius de quo suscepta est laudatio famae honorique pudenter ac modeste consulas. Nam qui pretio servit ac malivolentiae veritati quoniam prato studeat? Ac mihi quidem in laudando aut improbando videtur rerum gestarum scriptor iudicis quasi cuiusdam personam debere induere, ne ab aequo et iusto illo recedat, quod est inter praemium ac poenam medium. Et quoniam res ab aliquo gestas historicus sibi scribendas suscipit, primum videre illud debet, quod dicendi genus sequi debeat; quod tale mihi quidem assumendum videtur quale est genus fusum, lene, aequabiliter incedens, neque ita compressum ut inops videatur et languens, neque adeo amplum ut intumescat oratio et verba ipsa quodammodo exilant, utque incedat oratio, non saliat aut titubet sitque incessus ipse non muliebris ac petulans, sed virilis et gravis. Omnium autem iudicio laudatur potissimum in historia brevitas, cum ea sit maxime idonea ad docendum, ad delectandum, ad movendum. Nam nec docere bene potest qui loquaciter atque vambitioso explicat; parit enim loquacitas ac diffluentia ipsa tum contemptum tum etiam satietatem, quae docilitati adversantur ac delectationi. Nam quis omnino doceri velit molestia taedioque affectus? nec moveri et agi quo volumus animus eius potest, male qui libenter aut audit aut legit. Ad haec nimius verborum tractus effusiorque oratio memoriae quam officiat omnes videtis; de quo natura est Horatianum illud:  
«Quicquid praecipies, esto brevis».

[Page 210]

Quo haec igitur aliaque vitentur in scribendo incommoda et vitia, danda exit opera ut brevitas ipsa sit aperta et clara quaeque apte colligat, non concise, lucide, non obscure. Nam et Cicero in Thucydide ac Philisto, qui illum imitatus est, non probat eorum quasdam sententias, ut concisas, ut non satis lucidas, quaeque contractione sua officiant nimioque acumine. Evidem hac in parte pudore capior quodam, dicam tamen quod sentio ingenue, inter vos praesertim, dissertationes illustres illas quidem et puras et appositae, easdem etiam graves et suptiles, ita tamen nimio acumine ne officiant,

non breves vocandas, sed accommodatas potius, sed et aequabiles  
et temperatas; arbitrorque nomen hoc brevitatis inde venisse  
in usum vel potius in honorem, quod diffluentia illa et superfluens  
collectio rerumque aggestio ac verborum tantopere improharetur,  
ut eius contraria brevitas favorem eo maiorem invenerit. Sed non  
sit nobis de verbo illo contentio, quod in Ciceronis sonet ore, dum  
brevitas intelligatur esse apposita ipse quidem et verbis ac sententiis  
accommodatis, collectione ipsa nec areta nec pervagata, in  
qua, perinde ut in agro bene culto, nullae insint sentes, quin eniteant  
in ea ipsa omnia et virescant suo tempore, suo etiam et florescant  
et maturescant. Hoc itaque sive breve et appositum, sive aequabile  
atque accommodatum dicendi genus amplectendum est historicō;  
constetque appellatam brevitatem non quia concisa et manca,  
verum quod multa complectatur verbis non ita multis, quaeque  
pro rerum ac sententiarum complexu appareant etiam pauca.  
Hoc est igitur illud genus quod paulo ante diximus assumendum:  
fusum, lene, aequabiliter defluens, neque ieunum neque intumescens  
atque corruptum. Etenim fusa oratio concisionem longius a  
se repellit obscuritatis sociam sibique adversantem atque contrariam.  
Lenis atque aequabilis aspernatur reiicitque ab sese contortus  
illos ambitusque nimios ineptasque atque asperas verborum collocationes  
strepitusque tum vocum ac syllabarum tum interruptos  
hiatus; ut quemadmodum sedatus amnis feratur cursu tranquillo,  
nullis contortus gurgitibus aut spumantibus obiectu saxorum aquis.  
leiuna vero atque inops illa, quasi glareosus ager, quem afferre fructum  
potest, quando quod laudandum suscepit reddit contemptibile  
illud ac ridiculum?  
In brevi autem hoc et apposito dicendi genere, in repetendis antiquitatibus,  
in revocandis memoriis, in describendis locis, in referendis  
consiliis, in enarrandis casibus, in proeliis, victoriis, cladibus

[Page 211]

memorandis, extollendis praeclaris facinoribus, accusandis ac deprimendis  
ignavis et perditis, iudicio vetustatis magnus et clarus  
existit Sallustius, nam celeritate facile est princeps. In contionibus  
vero habendisque orationibus non idem video esse omnium iudicium,  
quasi parum habita ratione personarum, hoc est militum,  
populi, senatus, ad quos orationes ipsae habentur; ad haec et scabrosior  
in illis iudicatur et concisior in sententiis et contractus  
ac nimium acutus apud quos minime deceat. Quibus autem (quod  
de eloquente ait Cicero, quod mirabilius et magnificentius quam disertius  
augebit atque ornabit quae volet) quibus, inquam, mirabilior  
ac magnificentior magis placet oratio, iis vitandum est dicendi  
genus insolens, affectatum, tumidum; quibus scatet vritis Marcellinus,  
quo in genere scribendi Livius profecto regnat. Quia vero exempla  
comparationesque declarant maxime virtutes ac dicendi figurās,  
afferam e Sallustio quos memoria teneo locos quosdam, tametsi  
quicquid dicit, simplex est et unum duntaxat, ut Horatianis utar  
verbis. Loci erunt de ingenio lugurthae et moribus:

«*Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxime  
ingenio valido non se luxui neque inertiae corrumpendum dedit, sed, uti mos  
gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare et, cum omnis  
gloria anteiret, omnibus tamen carus esse. Ad haec pleraque tempora venando  
agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire, plurimum facere,  
minimum, ipse de se loqui».*

Et alibi:

«Nam lugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam Publil Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hostium cognovit, multo labore multaque cura, praeterea modestissime parendo et saepe obviant eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervaenerat, uti nostris vehementer carus, Numantinis maximo terrori esset, ac sane, quod difficillimum in primis est, et proelio strenuus erat et bonus consilio; quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerunque solet. Igitur imperator omnis fere res asperas per lugurtham agere et in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti, quippe cuius neque consilium neque incepsum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi et ingenii solertia».

[Page 212]

Singula verba res pene complectuntur singulas, ipsa quidem ita propria, ut nullo apparent modo conquisita, structura illaborata, cursus fluens ac sedatus, sonus lenis auribus maxime gratus, nihil denique quod artem prae se ferat, cum tamen omnia sint ex arte: quodque de Amphionis cithara murisque Thebanis in fabulis dicitur, et verba et res sponte sua ac natura duce in unum confluunt.

Referam et Livianum de Hannibale locum:

«Nunquam ingenium idem ad rea diversissimas, parendum acque imperandum habilius fuit. Itaque haud facile discerneres utrum imperatori aut exercitui carior esset; neque Asdrubal alium quemquam praeficere mallet, ubi quid fortiter ac strenue gerendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut audere. Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat; nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat; caloris ac frigoris patientia par, cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus, vigiliarumque somnique nec die nec nocte discriminata tempora. Id quod gerendis rebus superesset quieti datum; ea neque molli strato neque silentio arcessita; multi saepe militari sagulo opertum, humi iacentem intra custodias stationesque militum comspexerunt. Vestitus nihil intra aequales excellens, arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat, princeps in proelium ibat, ultimus confecto proelio excedebat. Has tantas virtutes ingentia vitia aequabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum iusiurandum, nulla religio».

Iudicari his praesertim e locis plane potestis in Sallustio maius esse brevitatis eius de qua loquimur studium, in hoc altero rerum adiectis verbis augendarum; illi curae est proprie simpliciterque expressa res, huic arcessitum atque extrinsecus allatum aliquid tanquam excolendae formae. Et lenis et fluxu tantum suo incitus placet Sallustio decursus, at Livio altior paulo, nec tam aliquando sedatus quam plenus ac personans. Ille in id intendit, ut natura videatur duce loqui, hic ut naturae bonis attulisse ex arte industriaque videri volit adminiculum. Utque alter ille virili et senatorio incessu graditur, ac pro loco et sistit interdum gradum et tanquam prospectat longius metiturque loca singula, sic alter hic et gestit quandoque et viribus suis laetus exultat praefertque robur et artis et ingenii. Declarat hoc manifestius Lucii Catilinae de virtutibus et vitiis descriptio; locus tamen ille Liviano huic haudquaquam satis similis. Verum de iis sit suum cuique iudicium. Quoniam igitur, ut Cicero maximus dicendi auctor sentit, pura et illustris esse debet brevitas atque, ut nos dicimus, aperta et clara

[Page 213]

puritasque ipsa et claritas versentur tum in sententiis tum in verbis e quibus constat orationis contextio, nimirum omni studio fugienda est obscuritas loquendique perplexio ac dubietas. Evitabuntur autem vitia haec si verba ipsa bene fuerint collocata eaque non rancida, non obsoleta, non putida minimeque ancipitia; cursus non contortus, non verticosus, non lubricus; non concisa aut quasi in involvolum complicata, ut rustici loquuntur, textura; non spinosa

sensa, verum series ipsa fusa et tracta. Quarum ubi rerum diligens  
habebitur cura, quasi fugatis nubibus, aperta apparebit ac serena  
brevitatis species.  
Est brevitati coniuncta vel potius cognata celeritas, adeo  
in historia laudata, eaque existere absque brevitate omnino nequit.  
De qua innuendum est aliquid, ne partem hanc aut aegre feratis  
a me praeteritam aut parum omnino animadversam existimetis.  
Audite, queso, studiosissimi viri, quae a me dicentur, nequaquam  
tamen ut qui novi hausturi aliquid meo de fonte sitis,  
sed ut ab eo qui ea potius sit vobis in memoriam revocaturus de  
quibus saepius eodem hoc in consessu non minus copiose quam diligenter  
est disputatum.

Differt itaque a brevitate celeritas, quod brevitas quoque  
inesse in sermone et oratione potest, celeritas nec ubique nec semper  
potest. Etenim brevis est oratio haec:

«*Ubi quemque periculum  
ceperat, ibi stare*».

At si coniungas statim:

«*arma, tela, viri, equi,  
hostes atque cives permisi; nihil concilio, neque imperio agi, fors  
omnia regere*»,

erit utique celeritas. Cuius etiam persimilis est illa:

«*Deinde ipse pro re ac loco, siculi e monte descenderat, paulatim procedere,  
Marium post principia habere, ipse cum sinistram alae equitibus  
esse*».

Est igitur celeritas brevis et accurata sive complexio sive collectio  
conglutinatioque complurium simul rerum ac verborum, et  
quasi partium, quarum unaquaeque per se prolata sensum perficit;  
sive ea conglutinatio sit inconiuncta et absque copulatione aliqua,  
ut quas supra posui, sive copulatione constet, ut haec:

«*Eodem tempore imperator et aciem instruere et hosti obviam ire et milites  
cohortari et quid facere quemque vellet imperare; neque voce neque manu  
usquam deesse*».

[Page 214]

Huius autem ipsius complexionis partes ac membra interdum  
singulis e verbis constant, ut:

«*arma, tela, viri, equi, hostes atque  
cives permisi*»;

interdum e pluribus, qualis ea:

«*Nam uti planities erat inter sinistros montes et inter dexteram rupem, octo  
cohortes in fronte constituit, reliquarum signa in subsidiis collocat. Ex his  
centuriones omnes electos et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optimum  
quemque armatum in primam aciem subducit; C. Manlium in dextra,  
Fesulanum quandam in sinistra parte curare iubet, ipse cum libertis et colonis  
propter Aquilam assistit*».

Atque haec quidem ipsa celeritatis species minus appareat, nec tam allicit lectorem, nihilominus varietas est quae eam condat. Contra mirifice trahit ad se legentem, ubi partes ipsae mistim constituentur et e singulis et pluribus verbis, ut:

«Quibus rebus permota civitas atque immutata facies urbis erat; ex summa laetitia acque lascivia, quae diurna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit: festinare, trepidare, neque loco neque homini cuiquam satin fidere, neque bellum gerere neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri».

Accedat et altera compago:

«Ad haec mulieres, quibus reipublicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad coelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare deos, omnia pavere, superbia atque deliciis omissis sibique patriaeque diffidere».

Ut autem naturae propria ac peculiaris est varietas, sic ea ipsa praecipue multum confert ad decorandam magnificandamque celeritatem. Quocirca videndum erit ne idem ubique sit eius tractus, sed mistus et varius filumque orationis non unum, verum aliae atque aliae partium texturae, qualis Sallustianus ille locus:

«Postquam eo ventum est unde a ferentariis proelium committi posset, maximo clamore cum infestis signis concurritur, tela omittuntur, gladii res geritur. Veterani pristinae virtutis memores cominus acriter instare, illi haud timide resistunt, maxima vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acis versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis arcessere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire, strenui militis et boni imperatoris officia simul exequebatur».

[Page 215]

Itaque neque omnia eodem aut semper filo contexenda sunt aut numerus variandus non est; cuique etiam rei adhibendus est modus, cunctorum enim sensuum satietas mala, aurium vero multo molestissima.

Fuit autem tantum virtutis huius in Sallustio studium, uti divinam illam appellare non dubitaverit Marcus Fabius, aliis tamen multis et magnis virtutibus Livium assecutam, scilicet quod ad hanc ipsam aspirare minime potuerit. Neque tamen nos id aut sentimus aut dicimus, quod eam ipse Sallustiano sequi more contenderit. Sunt enim et dicendi sua fere cuique innata semina, sicuti et appetendi studiorumque coeterorum.

Est autem celeritas ipsa tum grandium magnificatrix rerum tum sullevatrix humilium; eadem effusa colligit, collecta nunc graviter nunc venuste pro materia digerit; quae multa sunt cogit in pauca, quae rursus pauca, ornat, insignit, auget. Ac perinde ut manus ad agendum, pedes ad inambulandum innitendumque multis pollut iuncturis, sic et ipsa celeritas suis articulis indefessa indefatigataque est. Atque ut pedes etiam ipsi ad adducendas quandoque servint choroas manusque ad decorandam formam, praeterquam quod pedes nati sunt ipsi ad incessum labores atque ad ferendum honus corporis, manus vero ad robur viresque exercendas, sic ipsa quoque adiuvat confertque celeritas ad comptum, ad hilaritatem, ad venustatem, ad vanitetatem denique comparandam, naturae profecto ipsius narrantis appositissimum ministerium. Quae Livius dum quaerit, alia etiam via ingressus atque profectus est. Cuius viri multae profecto magnaenque virtutes extitere, tum exornandis atque adaugendis rebus tum etiam complectendis ac variandis, ut nunquam illi aut res defuisse videantur aut ipse rebus defuerit. Denique ut nullus post Marcum Tullium extitit qui aures impleverit audientium in foro, in senatu, in populo orator actorque causarum, sic inventus necdum post Livium est ullus ex ore cuius in

rebus bellicis terribilem dederit sonitum tuba, nec, ut vaticinor,  
ex alicuius ore datura est post multa etiam secula. Qualis igitur et  
quae celeritas sit, iudicari ex iis quae dicta sunt potest, etsi multa  
quoque a me praetermissa sunt quae quamvis minutiora, non exigua  
tamen laudem afferunt scriptori. Comparatur autem et constituitur  
ea tum verborum tum rerum copia. Oportet enim perhuberem  
esse cam perque affluentem, cum necesse sit, multa, diversa,  
varia hinc atque illinc apportata et disquisita colligat collectaque  
quasi pleno e sinu effundat, ut quae mirabiliter quoque inventa

[Page 216]

videantur; veluti cum Sallustius, ut paulo ante retulimus, dixisset  
«*omnia pavere*», non ante subiunxit «*sibi patriaeque diffidere*», quod  
abunde fuissest per se plenum, quam iniecisset

«*superbia ac deliciis  
omissis*»,

quadam cum admiratione et audientium et recitantium.  
Et Livius mira etiam celeritate usus cum esset, in virtutibus  
vitiisque Hannibalis exponendis, cum dixisset

«*inhumana crudelitas,  
perfidia plus quam punita, nihil veri, nihil sancti, nullus deum  
metus, nullum, iusurandum*»,

quo maiora illa omnia ficeret, tandem  
imo quasi e pectore erutum effudit: «*nulla religio*».  
Etenim celeritas quasi plenus et profundus amnis multa, vehit  
et tanquam aquarum mole rotat versatque. Vitanda tamen confusa  
et inordinata permistio, eaque evitabitur si partes ipsae et  
quos dixi articuli separatim ipsi suis quique illustrentur atque impleantur  
verbis, si verba apte et plane explicitent res, si loco et ordine  
subsequantur suo, si numerorum quoque recta habeatur ratio,  
si incessus ac cursus ipse minime, ut dici solet, pedem offendat.  
Quid vero hac ipsa Sallustiana copiosius, planius, tractius aut denique  
numerousius?

«*Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare; signa; tabulas  
pietas, vasa caelata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare,  
sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites postquam victoram  
adepti sunt, nihil reliqui vicit facere. Quippe secundae res sapientium fatigant  
animos, nedum illi corruptis moribus victoriae optemperarent. Postquam  
divitiae honori esse coepere et eas gloria, imperium, potenta sequebatur,  
hebescere imperium, paupertas probro haberi, innocentia pro maleficentia  
duci coepit. Igitur ex divinis iuventutem ubi luxuria atque avaritia  
cum superbia invasere, rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere,  
pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi, nihil  
moderati habere*»,

et quae post sequuntur.  
Erit igitur celeritas ut minime sordescens ac lutulenta, sic undique  
sibi constans et conformata suoque loco adhibita; integra  
partibus, iucunda numeris, cursu lenis, rotunda, constituta, magnifica,  
ac rerum plena, quemadmodum piscosus multarumque ac  
liquidarum aquarum fluvius. Locus autem virtuti est huic maxime  
aptus cum multa sese offerunt quae breviter sint pertractanda, aut  
cum prosequenda magnifice augendaque oratione, aut ubi res per  
se ipsa videtur exilior, estque et verbis tum honestanda atque extollenda

[Page 217]

tum rebus locupletanda atque sententiis, iisque extrinsecus  
allatis. Diximus de brevitate deque coniuncta ei celeritate,  
de illo item dicendi genere quod historiae videatur accommodatum,

etsi non exacte, plura fortasse quam consilium nostrum  
fuerat aut quam ab eo qui innuere atque adumbrare tantum  
habeat promissum initio fuerit. Quocirca progrediamur ad reliqua.  
Omnino historia, ut Cicero putat ac natura, ipsa docet, partibus  
constat e duabus, hoc est rebus et verbis. Rebus autem ipsis  
est ordo adiunctus; agendis enim negotiis insunt et quae prius et  
quae posterius sint administranda. Rerum enim ac naturae ipsis  
ordine ut quaedam praecedunt, sic etiam sequuntur alia. Ac de  
rebus quidem ipsis existit enarratio; verbis autem series earum  
contextur, quemadmodum e lapidum strue aedificiorum fabricatio.  
Ordo est qui materiam omnem prudenter ac recte disserit seriemque  
passim et universam informat et singulas eius partes moderatur ac  
digerit. Oportet igitur explicationem quidem ipsam esse ordinatam,  
quo veritas minime confusa incertave aut indistincta appareat.  
Parit igitur ex sese rerum ordo eam quae dispositio et totius  
et partium dicitur; cuius ea laus est, ut eius opera ot cura, tanquam  
uno in corpore, omnia suo loco, suis partibus apte, proprie, decore,  
prudenterque collocentur; terminataque suis finibus totum ipsum  
partesque ita simul vinciant inter se atque connectant, ut in unum  
coacta decenter consentiant existatque universi species, tum honesta  
et gravis tum blanda et cum dignitate. Habebunt igitur ordo  
pariter ac dispositio rationem non rerum modo distribuendarum  
suis in locis, verum suo quoquo tempore, cuius spatio et ambitu  
cuncta comprehenduntur consistuntque quae sunt universa. Et  
quoniam actio omnis, geriturque atque administratur quodcumque,  
id aliquam ob causam susceptum est (causae namque ubique antecedunt  
rerumque suscipiendarum fines), oportet rerum scriptorem  
causarum ipsarum ac finium cum primis esse memorem certumque  
earum ac verum expositorem. Quibus exponendis summum est ab  
eo adhibendum studium maximeque diligens cura. Quodque causis  
iis quae propinquae quidem sunt aliquid tamen sese quandoque  
ostendit antiquius, huius quoque tanquam principii nobiliorisque originis  
facienda est repetitio, antiquitasque atque oblitteratio ipsa  
in memoriam revocanda et tanquam exponenda in lucem; ut cum  
Sallustius, quo Micipiae regis consilia magis magisque in aperto  
poneret, Numantino usque a bello repetit; utque ad Catilinae incepta  
progrederetur, suosque per tramites, coepit repetere ab urbe

[Page 218]

condita, et quibus primo artibus civitas creverit et quibus etiam  
moribus corrupta post iuventus fuerit, quae corruptio Catilinam  
ad ineundam coniurationem et traxit et perpulit.  
Ipsis autem causis suscipiendi sive negotiis sive belli coniuncta  
sunt consilia et hominum qui agendum quippiam decernunt sententiae  
sic voluntates; quae quod saepenumero sunt diversae, exponendae  
eae sunt a rerum scriptore in partem utranque; ut cum  
Livius Annonem alterius factionis principem inducit impugnantem  
Carthaginensis senatus sententiam de bello inferendo Romanis creandoque  
Hannibale duce. Quo fit ut quandoque utriusque partis diversorumque  
consiliorum auctores ac principes inducendi sint altercatim  
disserentes in senatu, quo sententiae ipsae clariores appareant,  
illustreturque magis magisque historia et lectores ipsi apertius doceantur  
de altercationum causis consiliorumque ac sententiarum  
diversitate; quod servavit Sallustius, cum et Caesarem inducit et  
Catonem sentientes in senatu contraria.  
Suscepto autem negocio aut bello explicando (nam rea gestae  
plerunque sunt bellicae) duo statim coniuncta sunt, et pene dixerim  
agnata, description sua digna: belli dux ipsius atque imperator  
et vires atque opes reipublicae, si tum ea magistratibus regitur,  
aut regis ipsius, ubi sub unius moderatione urbs regnumve temperatur.  
Itaque et Livius ingenium, institutionem moresque describit  
Hannibal et lugurthae Sallustius ac Catilinae. Principum quoque  
senatus et civitatis mores qui sint quaeque instituta aperienda fideliter;  
opes item, amicitiae, societas. His accedit explicatio bellici  
apparatus, tum terrestris tum maritimi; quales et quantae utriusque  
partis copiae, armorum genera, equitum ac pedum numerus;  
quaeque alia his annexa sunt atque a scriptoribus minime omittenda,  
ut praesagia, auguria, vaticinia, oracula, visiones, sacrificia.  
transfugia denique atque exploraciones; legationes item ac legatorum  
mandata, bellique ipsius indictio, atque indicendi modus ac ratio.  
Non praeterit Hannibal insomnium illud Livius, quo vastitatem  
Italiae denuntiatam significat, non Catilinae epistolam Sallustius  
aut Scipionis ad Masinissam, non uterque aut Martii vatis praedictionem

Cannensi de calamitate alter, alter de imperio Corneliorum  
familiae debendo in urbe Roma.  
Post vero susceptas expeditiones ac bellum iam indictum motumque,  
quo aperta magis magisque sint quae narrantur omnia,

[Page 219]

describendae sunt regiones, loca, situs, qua ducendus exercitus, qua  
castra metanda, quibus aut campis aut collibus bellum administretur;  
ordo etiam ipse ductandi aperiendus, ut cum legitur triplici  
aut quadrato agmine incedere exercitum. Flumina quoque et montes  
si qui sunt et illorum naturae et si quid in his dignum memoratu  
ac rarum.

«*Erat, inquit Sallustius,*

*in ea parte Numidiae, quart Adherbal in divisione  
possederat, flumen oriens a meridie, nomine Mutul, a quo aberat mons ferme  
millia passuum viginti, tractu pari, vastus ab natura et humano cultu; sed  
ex eo medio collis oriebatur in immensum pertingens, vestitus oleastro et myrtetis  
aliisque generibus arborum, quae in humo arida arenosaque gignuntur;  
media autem planities deserta penuria aquae, praeter flumini propinqua  
loca; ea consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur».*

Quo igitur et lectorem doceret et delectaret remque ante oculos  
quasi videndam exponeret, et situm omnem exequitur et qui situs  
esset ipsius habitus et quae soli natura. Et Livius:

*«Tumulus erat, inquit, inter castra Minutii et Poenorum; qui eum occupasset  
haud dubie iniquiorem erat hosti locum facturus. Eum non tam capere  
sine certamine volebat Hannibal, quanquam id operae pretium erat, quam  
causam certaminis cum Minutio, quest semper occursum ad obsistendum  
satis sciebat, contrahere. Ager omnis medius erat prima specie inutilis insidiatori,  
quia non modo silvestre quicquam, sub ne vepribus quidem vestitum  
habebat, re ipsa natus tegendis insidiis, eo magis quod in nuda valle nulla  
talis fraus timeri poterat. Et erant in contractibus cavae rupes, ut quaedam  
earum ducenos armatos possent capere».*

Horum uterque loca describit insidiarum gratia aperitque et locorum  
aptitudinem et ducum consilia et quid uterque imperator  
designasset animo. Describit Africæ situm Crispus, quo scilicet et  
situs ipse notus esset et qui amici quive inimici ex omni provincia.  
Cum obsidionem etiam castelli descripturus esset, licet ignobilis,  
tamen natura permuniti, situm ante eius exponit:

*«Haud longe a flumine Mulucca quod lugurtha Bochique regnum disiungebat,  
erat inter planitem mons saxeus, mediocri castello satis patens, in immensum  
editus, uno per angusto aditu relicto; nam per omnia natura velut  
opera atque consulto praeceps erat; quem locum Marius, quod ibi regis thesauri  
erant, summa vi capere intendit».*

[Page 220]

Urbium quoque origines gentiumque primordia procul repetita,  
quaes sint earum leges, qui mores studiaque, haud exiguum historiae  
dignitatem afferunt, et propter varietatem ipsam et quod pervetusta  
atque a memoria nostra longius remota vehementer delectant;  
ut cum Sallustius Maurorum gentis initia ad Medos referat et  
Tacitus Iudeorum nationis antiquitatem commemorat. Quibus referendis  
magna cura, non minore prudentia opus est, cum eiusmodi  
pleraque aut incerta sint aut fabulosa.  
Necubi vero plura quam bellicis in rebus accidentum improvisa,  
insperata, non ante cogitata praeterque opinionem atque consilium  
eaque ipsa plena nunc terroris nunc spei, modo gaudii modo tristitiae.

Itaque casuum fortuitorumque in his eventuum magna scriptori  
ratio habenda est. Tempestatum quoque, famis, frigoris, aestus, pestilentiae,  
periculorum in faciendo itinere, in conserendis manibus;  
item audaciae, metus, temeritatis, suspicionis, insidiarum, falsorum  
rumorum, quaeque alia inter gerendum atque administrandum bellum  
sive consilio eveniunt hominum sive casu. Ex his enim perspicitur  
potissimum qualis fuerit scriptoris diligentia atque perpensio.  
Attingenda etiam permulta, quae nihil tamen susceptam ad historiam,  
verum ut extrinsecus allata novitate sua pariunt et admirationem  
et voluptatem suntque condimentum quasi quoddam, atque  
ut peregrina vehementer afficiunt; ut cum Sallustius lugurthino  
in bello, quod solum suscepereat scribendum, aliunde afferat:

«*Per idem tempus adversum Gallos ab ducibus nostris Q. Cepione et M. Manlio  
male pugnatum, quo meta Italia omnis contremuit. Illique et usque ad  
nostram memoriam Romani sic habuerunt, alia omnia virtuti suae prona  
esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria certare».*

Et Livius, cum belli Achaici adversus Mesenen particulam sibi  
referendam assumit. Eius autem verba sunt haec:

«*Cuius belli causam et ordinem si expromere velim, immemor sim propositi,  
quo statui non ultra attingere externa nisi qua Romanis cohaererent rebus.  
Eventus memorabilia est, quod cum bello superiores essent Achaci, Philopomenes,  
praetor eorum, capititur, ad praecooprandam Coroneam, quam hosti  
petebant, in valle iniqua cuna equitibus paucis oppressus. Ipsum potuisse  
effugere Thracum Cretensiumque auxilio tradunt, sed pudor relinquendi  
equites nobilissimos gentis ab ipso nuper lectos tenuit. Quibus dum*

[Page 221]

locum ad evadendas angustias cogendo ipse agmen praebet, sustinens impetus  
hostium, prolapsus equo et suo ipse casu et honore equi super eum ruentis,  
haud multum abfuit quin exanimaretur, septuaginta annos iam natus et  
diutino morbo, ex quo tum primum reficiebatur, viribus admodum attenuatus.  
*Iacentem hostes superfusi oppresserunt; cognitum primum verecundia memoriaque  
meritorum haud secus quam ducem suum attollunt reficiuntque  
et ex valle de via in viale portant».*

Quem quidem locum ita executus est Livius ut et funus referat  
et honores pene divinos in eum collates dicat et annum eum  
celebrem morte trium clarissimorum ducum Hannibal, Philopomenis,  
Scipionis.

Iam vero cum sit homini data a natura oratio magna cum excellentia  
animalium coeterorum ipsorumque hominum inter ipsos, sitque  
orationis propria vis movere animos et quo velit flectere, nuncque,  
pro re ac loco, a metu trahat ad fiduciam, a dolore ad laetitiam,  
ab ocio ac mollitie ad laborem, eademque fugientes retineat, irruentes  
impellat, dubitantes confirmet, huius esse memor rerum gestarum  
scriptor cum primis debet. Itaque quotiens res tulerit, imperatores  
ipsos inducit nunc confirmantes suos in periculis nunc excitantes  
illos ad ea obeunda, alias exhortantes alias obiurgantes, et  
modo praemia proponentes modo admonentes infamiae, turpitudinis,  
servitutis, mortis. Videntur enim eiusmodi allocutiones, quae  
nunc ad multos nunc ad singulos habentur, decorare historiam et  
quasi animare eam. In quibus, quotiens res ipsa tulerit, nervos orationis  
atque ingenii sui ostendet rerum scriptor. Nec solum quae  
dicta fuisse referentur ab imperatoribus, verum etiam ea afferet  
quae verisimilia quaeque dicenda tempos, periculum, reique ipsius  
natura postulare videatur; uteturque in increpando acrimonia, in  
excitando vehementia, in sedando lenitate, in impellendo contentione,  
in extollendis rebus propriis, adversarii deprimendis, magnitudine  
ac linguae suae acie, rerum ipsarum qualitates ac ducum

maxime personas secutus. Magnificant autem historiam conciones  
potissimum rectae illae quidem, ubi imperatores ipsi et loqui et  
agere introducuntur, ut quasi geri res videatur. Adhiberi tamen debent  
suo et loco et tempore suumque ubique decorum retinendum.  
Illa vero trita sunt, ante pugnam instruere aciem, indicare animorum  
habitus, nunc victoriae nunc cladis praesagum; militum  
vel strenue in acie vel ignaviter facta referre; ducum solertiam,  
adhortationes, consilia et si quid strenue manu ediderint memorare;

[Page 222]

hic fortitudinis prudentiaeque, illic fortunae casusque mentionem  
facere; a quo primum cornu aut fuga coepit aut victoria declarare;  
post pugnam ac victoram caedes, captivorum numerum, vexilla  
capta, praedam, spolia, direptiones recensore, praemia referre, commendare  
fortitudinem, accusare ignaviam, minerari humanos casus,  
varietatem ludumque fortunae mirari, aut deorum vel iras vel favorem,  
quaeque alia vel eventus natura vel ratio ipsa rerum laudanda  
aut vituperanda, iucunde aut aegre accipienda, miseranda  
aut accusanda docuerit, per ea evagari. Audite, quaoso, Sallustium  
post Catilinae male decertatam pugnam:

«*Strenuissimus quisque aut occiderat in proelio aut graviter vulneratus discesserat.*  
*Multi autem, qui e castris visendi aut spoliandi gratia processerant,*  
*volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem atque cognatum*  
*reperiebant; fuere item qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per*  
*omnem exercitum laetitia, maeror, luctus atque gaudia agitabantur».*

Et post Metelli proelium cum lugurtha:

«

*Igitur pro metu repente gaudium exortum; milites alias alium appellant,*  
*acta edocent atque audiunt, sua quisque fortiter facta ad coelum fert. Quippe*  
*res humanae iter se habent: in victoria vel ignavis gloriari licet, adversae*  
*res etiam bonos detractant. Metellus in iisdem castris quadriduo moratus*  
*sauios cura reficit, meritos praemiis more militiae donat, universos in concione*  
*laudat atque agit gratias, hortatur ad coetera quae levia sunt parem*  
*animum uti gerani; pro victoria satis pugnatum, reliquos labores fore praedae».*

Nec pigeat referre quae a Livio dicuntur post stragam ad Thrasimenum  
ab Hannibale editam:

«*Haec est illa nobilis ad Thrasimenum pugna atque inter paucas memorata*  
*populi Romani clades; quindecim millia Romanorum in acie caesa sunt,*  
*decem millia sparsa fuga per omnem Etruriam diversis itineribus urbem petiere,*  
*mille quingenti hostium in acie, multi postea utrinque ex vulneribus*  
*periere».*

Et post pugnam ad Trebiam factam primo quid Hannibal fecerit  
refert:

«*Finis insequendi hostis Poenis flumen Trebia fuit; ita torpentes gelu in*  
*castra rediere, ut vix laetitiam victoria senserint».*

[Page 223]

Deinde transit ad ea quae Romae agitabantur post cladis  
nuntium:

«Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, ut iam ad urbem crederent infestis signis hastens venturum, nec quicquam spei aut auxilii esse qua portis moenibusque vim arcerent; uno consule ad Ticinum victo, altero e Sicilia revocato, duobus consulibus, duobus consularibus exercitibus victis, quos alios duces, quas alias legiones esse quae arcesserentur?».

Quanta vero hac in parte scriptores varietate sint usi, magis ut appareat, subdam tertium quoque e Livio locum. Post superatum enim Beneventanorum in campis a Sempronio Gracco Annonem Poenum, postque donatos libertate volones donisque militaribus veteranos atque ignominiae nota quos par erat affectos,

«signum deinde Graccus colligendi vaca dedit. Milites praedam portantes agentesque per lasciviam ac iocum ila ludibundi Beneventum rediere, ut ab epulis celebrem festumque diem actis, non ex acie reverti viderentur. Beneventani omnes turba effusa, cuna obviam ad portas exissent, conspectis militibus gratulari, votare in hospitium. Apparata convivia omnibus in propatulo aedium fuerant; ad ea invitabant, Graccum orabant epulari permetteret militibus. Et Graccus ita permisit, in publico epularentur omnes. Ante suas cuiusque fores prolata omnia. Pileatis aut lana alba velatis capitibus volones epulati sunt, alii accubantes, alii stantes, qui simul ministrabant vescebantur».

Placuit locos hos duorum ex eloquentissimorum scriptorum historiis referre, ut intelligeretis qua varietate sint usi rerum explicatores post eiusmodi strages enarratas, quae varietas perfectis etiam proeliis aliis longe maior apparebit.  
Eadem habenda est ratio in obsidionibus expugnatiouibusque.  
Oportet enim aperire prius naturam et loci et civium, genus obsidionis ac machinarum; quid intra urbem paretur, quid geratur in castris edocere; dolos, artes, insidias, diurnos nocturnosque labores, ruinas, instauraciones referre, quaeque permulta et obsidentibus et obsessis aut virtus contulit, aut fortuna ipsa diligentiae, aut negligentia partis alterius repente optulit obiecitque, vel abstulit eripuitque consulto. Livius cum Thaumacorum situm describeret,

[Page 224]

quam urbem Philippus obsidebat rex, dum nomen ipsum interpretare vult, locum illum historiae mirifice illustravit, inquiens:

«Ubi ventum ad hanc urbem est, repente velut maris vasti, sic immensa panditur planities, ut subiectos campos terminare oculis haud facile queas; ab eo miraculo Thaumaci appellati, nec altitudine solum tuta urbs, sed quod saxo undique abscisso rupibus imposita est».

Audiamus, quaeso, et Sallustium, fortuitam reni quanta cum dignitate sit executus:

«At Marius, multis diebus et laboribus consumptis, anxius trahere animo  
omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua  
saepe prospera usus fuerat. Quae tum, multos dies noctesque aestuans agitaret,  
forte quidam Ligus, e cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum  
egressus, haud procul ab latere castelli, quod aversum proeliantibus erat,  
animadvertisit inter saxa reptantes cochleas; quarum cuncta unam atque alteram,  
dein plures peteret, studio legendi paulatim prope ad summum montis  
egressus est. Ubi postquam solitudinem intellectus, more ingenii humani  
cupido difficultia faciendi animum vertit ut forte eo in loco grandis ilex coaluerat  
inter saxa, paulum modo prona, deinde flexes atque aucta in altitudinem  
quo cuncta gignentium natura fert, cuius ramis modo, modo eminentibus  
saxis nixus Ligus, castelli planitiem describit, quod cuncti Numidae intenti  
proeliantibus aderant. Exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat,  
eadem regreditur, non temere uti ascenderat, sed tentans omnia et circumspiciens.  
Itaque Marium propere adit; acta edocet, hortatur»

et quae sequuntur.

Videtis quae sit loci huius explicatio quantaque cura tenuitate  
ac verborum gratia. Non exornavit modo orationem, verum etiam  
magnificavit res ipsas Livius, cum quasi repente oblatam causam  
ab ipso libri illius initio exorsus est, his quidam verbis atque his  
etiam verborum numeris:

«Inter bellorum magnorum, aut vixdum finitorum aut imminentium curas  
intercessit res parva dictu, sed quae studiis in magnum certamen excesserit.  
M. Fundanius et L. Valerius, tr. pl. ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda.  
Tulerant eam M. Oppius et T. Romulius, tr. pl., Q. Fabio, T. Sempronio consulibus, in medio ardore Punici belli: ne qua mulier plus semunciam  
auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur, neu iuncto vehiculo  
in urbe oppidove, aut proprius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum,  
causa veheretur. M. et T. Iunius tr. pl. legent Oppiam tuebantur, nec eam

[Page 225]

se abrogari passuros aiebant. Ad suadendum dissuadendumque multi nobiles  
prodibant; Capitolium turba hominum faventium in adversantiumque legi  
complebatur. Matronae nulla nec auctoritate nec verecundia nec imperio virorum  
contineri limine poterant, onmis vias urbis aditusque in forum obsidebant,  
viros descendentes ad forum orantes ut florente republica, crescente  
in dies privata omnium, fortuna, matronis quoque pristinum ornatuni reddi  
paterentur. Aagebatur haec frequentia mulierum in dies, nam etiam ex oppidis  
conciliabulisque convenerant. Iam et consules praetoresque et alios magistratus  
adire et rogare audebant».

Tam multa autem animadvertisenda sunt ab histotici, ut non  
reliquerit inexpressum Livius inenarratumque Numidarum equitum  
equorumque habitum ac foedam speciem:

«At Numidae equos condescendunt et obequitare stationibus, neminem lacescentes  
cooperunt. Nihil primo aspectu contemptius: equi hominesque paululi  
et graciles, discinctus et inermis eques, praeterquam quod iacula secum  
portat, equi sine frenis deformes, ipse cursus rigida cervice et extento capite  
currentium; hunc contemptum de industria augentes labi ex equis ac per  
ludibrium spectaculo esse».

Nec Sallustius non et ipse faciem quoque ac nidorem Tulliani  
carceris explicit:

«circiter quatuordecim pedes humi depressus; eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus vincta, sed inculta tenebris, foeda odore atque terribilis facies eius».

Hos locos ab eminentissimis viris sumptos afferre placuit, non ut auctoritatem ah iis dictis comparemus nostris, verum ut praceptorum locum apud vos quique haec e vobis audierint optineant utque diligentiores etiam multo quam estis efficiamini explorandis locis aliis iisque considerandis, quibus tum Livius Sallustiusque praecipue tum alii rerum scriptores historias suas et locupletarunt abunde et insigniter etiam decorarunt.

Iam vero post expugnationes diroptio et caedes ipsa campum praebet quam latissimum edisserendi quae libido, ira, superbia, crudelitas, dolor, avaritia suadet victoribus quaeque perpetienda victis atque expugnatis. Quae quidem ipsa clariora sunt quam ut exemplis sint illustranda. Hi tamen loci praecipue et scriptoris ingenium quantum valeat ad movendos indicant animos et quae sit in eo augendi atque magnificandi virtus ac dicendi copia.

[Page 226]

Illud vero rerum scriptori servandum maxima atque in tota rerum serie, ut pro locis, rebus, occasionibus, iudicis ipse personam induat, ut laudet, condemnet, admiretur, deprimat, misereatur; nunc rideat humanos casus, nunc deploret, demum meminerit demonstrativo in dicendi genere se versari, ac tum laudandi tum vituperandi honus a se esse susceptum. Sallustius in explicandis Catilinae perversis consiliis atque coniurationis apparatibus quasi dolore victus prorupit in haec verba

«*Ea tempestate mihi imperium populi. Romani multo maxime miserabile visum est, cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi ocium, acque divitiae, quae prima mortales putant, affluerent, fuere tamen cives qui seque et rempublicam obstinatis animis perditum irent. Nam que duobus senatus decretis ex tanta multitudine neque praemio inductus coniurationem patefacerat acque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat: tanta vis morbi uti tabes plerosque civium animos invaserat*».

Et post captum a Mario oppidum, de quo paulo est ante sermo habitus, sententiam quasi iudiciale protulit:  
«*Sic forte correcta Marii temeritas gloriam ex virtute invenit*». Et Livius in explicando ad Capuam militem Hannihalis langore ac desidia:  
«*Maius, inquit,*

*id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur quam quod non ex Cannensi acie protinus ad urbem Romam duxisset exercitum. Illa enim cunctatio distulisse modo victoram videri potuit, hic error vires ademisse ad vincendum*».

Item post eruptionem ad Nolam a Marcello factam:

«*Ingens eo die res ac nescio an maxima illo bello gesta sit. Non vinci enim ab Hannibale difficilius, fuit quam postea vincere*».

Et alibi:

«*Eludant nunc antique mirantes. Non equidem, si qua sit sapientium civitas, quam docti fingunt magis quam norunt, graviorem temperatioremque a cupidine imperii aut multitudine melius moratam censem fieri posse».*

[Page 227]

Eiusmodi autem exempla affatim multa extant, quae sequenda sunt rerum gestarum scriptori sua cum maxima laude et historiae dignitate. His itaque servandis non laudatorem modo se nobilium nonc facinorum praeclarissimarumque actionum nunc reprehensorem turpium abiectorumque ostendet egregius rerum gestarum expositor, verum etiam virtutis ipsius patronum admonitoremque sapientiae prae se feret et quasi magistrum, quando historia ipsa vitae est hominum ac rerum humanarum magistra. Idem Livius de Hannibale Italia excedente sic loquitur:

«*Raro quenquam hominem patriam exilio causa relinquenter tam moestum abiisse ferunt quam Hannibalem hostium terra excedentem. Respexisse saepe Italiae litora et deos hominesque accusantem, se quoque ac suum ipsius caput execratum, quod non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset; Scipionem ire ad Cartaginem ausum, qui consul hostem Poenum in Italia non vidisset, se centum millibus armatorum and Thrasimenum aut Cannas caesis, circa Casilinum Cumasque et Nolam consenuisse. Haec accusans querensque ex diutina possessione Italiae, est detractus».*

Hic igitur praecipue locus admonere rerum scriptores potest, qua animi pensione uti debeant quodque adhibere iudicium ac curam, non in enarrandis modo rebus ipsis quae gestae sint, sed illis etiam innuendis effugendisque quae concipi cogitatione et colligi coniectura possunt, pro rebus, negotiis, temporibus, personis. Quae singula volle complecti, nec concessus est huius et videtur esse satis admonuisse, cum praesertim sit ostensum historiam poeticae maxime esse similem, ipsa vero poetica naturam potissimum imitetur. Diximus hactenus de rebus, quibus disserendis fuimus fortasse longiores, reliquum est de verbis ut dicamus, cum iis e duobus historia, ut dictum est, constet. Illud igitur videndum est primum, ut ea sint propria, accommodata, delecta, usitata bonis ab auctoribus, pro loco ac re sumpta, quanquam interdum, pro rei magnitudine, a poetis quoque mutuanda ea sunt, quod frequentissime omnium servavit Livius, et Cicero ait poetam oratori esse finitimum; Deinde ut ea bene sint opportuneque collocata ipsaque ut colloccatio sit artificiosa, varia, multiplex, numerosa habeatque rationem non aequahilis solum sibique consentientis texturae, verum etiam decursus ac soni, qua quidem de re aures sunt potissimum consulendae.

[Page 228]

Ad haec summa ea cura expolienda exornandaque, ut nec forma ornatu careat extrinseco nec ornatus appareat aut negligenter adhibitus aut alienus a forma, retineatque tun venustatem dignitatemque pro re ac loco, tum etiam gravitatem ac supercilium. Quarum rerum omnium Cicero optimum se nobis magistrum exhibebit. Usu venit autem in componenda historia quod in aedificandis tum domibus tum navibus, multas subinde fieri rerum commissuras et quasi membrorum inter se coniunctiones, quas prudentia ordinisque solers ac circumspecta ratio moderetur oportet quaeque et ipsa locorum quoque ac temporum rationem habeat, ut post narratas explicate diligenterque res alias transgrediatur ad alias; indeque postquam parti huic satisficerit, ad continuandam regreditur priorem materiam; rursus, ea quantum satis erit explanata, redditum ad alteram illam faciat, aut, si rei ratio tulerit, ad aliam moxque ad aliam; ut cum Livius post descensum ex Alpibus Hannibal postque proelium cum Scipione factum proditumque Clastidium subiungit rem navalem, inquiens:

«Interim circa Siciliam in aulasque Italiae imminentes viginti quinqueremes cum mille armatis ad depopulandam oram Italiae a Carthaginensibus missae; novem Liparas, octo insulam Vulcani tenuerunt, tres in fretum avertit aestus maris».

Deinde revertitur ad res ab Hannibale gestas postque Placentinam pugnam transit in Hispaniam:

«*Dum haec in Italia geruntur,  
Cn. Scipio in Hispaniam cum classe misses*».

Hae igitur, sive commissurae  
sive diversarum in historia rerum inter se connexiones,  
eiusmodi esse debent ut partes quae hinc atque illinc explicandae  
subiunguntur, sint per se integrae, clarae, minime perplexae atque  
ab ipso quam primum initio appareant esse aliae; quod praestabunt  
verba primo loco et ipsis quasi in foribus posita, qualia sunt  
«*interim*» et «*dum haec geruntur*» et «*per id tempus*» quaeque et  
Sallustius et Livius et coeteri omnes usurpant. Itaque committendis  
atque subnectendis his primum omnium id videndum, ut diversitas  
materiae confestim elucescat intelligaturque quasi membrum  
quoddam corporis ab alio membro diversum ac nihilominus  
ut membra nostri corporis nervis complicantur, sic partes hae verbis  
quam maxime aptis nervorumque praestantibus officium apte

[Page 229]

inter se prudenterque iungantur. Quocirca ad ingenium atque a natura  
tributa dicendi dona adiungenda est lectio optimi cuiusque ex  
Graecorum ac Latinorum auctoribus; quaeque in illis cernuntur  
apparentque eminentissima, ad ea tanquam ad metam dirigenda  
est omnis scriptorum opera et cura, ut similes, ut pares, si superare  
illos minus valuerint, aut imitatores saltem boni ut evadant, laudemque,  
si non primi aut secundi loci, aliquam quoque et ipsi certam  
propriamque ac studiis suis dignam consequantur.

Ac mihi quidem res gestas memoriae qui mandant officioque  
funguntur tradendi ad posteros res praeteritas non minore fortasse  
laude digni videantur quam qui leges tradidere vivendi. Illi enim  
praecepta, exempla hi nobis tradidere; quippe cum proprium eorum  
officium ac minus sit sustentare ingenio suo vitae nostrae imbecillitatem  
atquo mortalitati ire obviam, ne, quantum in ipsis est, dicta  
factaque memoratu digna resque paeclare atque excellenter gestas  
tempos obscuret neve eae omnino e memoria excidant; quaeque  
imitatione atque cognitione digna sunt, aevo ea ne intercidant, quibus  
mortale genus ad virtutem excitetur et gloriam; ut qui legunt,  
qui de iis loquuntur intelligent omnes quo ore quoque animo laudentur  
honesta, vituperentur turpia et improba; ut fortunam, ut  
varietatem inconstantiamque rerum humanarum animadvententes  
distant in adversis esse patientes ac firmi, in prosperis continentes  
et lenes, in dejectionibus ac ruinis fortes robustique ac spirante  
fortuna mansueti, faciles, placidi, in opulentia liberales ac benefici,  
in inopia sorte sua si non contenti, saltem non abiecti, non squalidi;  
ut nihil quod accidat homini novum existiment, nihil repentinum  
mirentur, nihil non aliquando reantur aut posse accidere aut putent  
non quandoque etiam accidisse.

Macti igitur diuturnitate estote ac laude, rerum scriptures, quorum  
opera et studio effectum est ut sciamus qui primi Deum cognoverint  
intelligamusque quibus eum sacrificii, votis, suppliciisque  
veneremur, colamus, placemus; quorum item beneficium ac munus  
fuit ut cognosceremus qui leges tulerint, naturae secreta aperuerint,  
artes invenerint, vivendi praecepta tradiderint. Quae dum  
sequitur genus hominum, e silvis atque a fero victu cultuque liberum  
in urbes se contulit atque in libertatem; in quibus pietatem,  
fidem, aequitatem, amicitiam, humanitatem, iustitiam, urbanitatem  
denique omnem exerceat seque homo ipse diis non modo gratum  
ipsis, verum etiam persimilem invicem gratuitoque beneficiendo  
reddat.

Constat igitur historia et rebus et verbis; verba vero esso debent, ut ultimo dictum est loco, elegantia et propria et bene decenterque collocata et sparsa. Res ipsae constant ordine et dispositione, quibus coniunctae sunt descriptiones eausarum, temporum, rerum praeteritarum antecessionumque, ingenii morumque eorum qui bellum administrant, virium, societatum, apparatum; item descriptiones regionum, locorum, urbium, fluminum, montium, et si qua in illis memoratu digna; itinerum quoque, casuum, eventuum, pugnarum, quaeque pugnam sequuntur; ad haec, obsidionum, oppugnationum expugnationumque, quaeque expugnationem comitari consueverunt. Accedunt his personae, laudantis scilicet aut improbantis, pro re ac tempore, lectio item atque imitatio.

De genere autem ipso dicendi, quale scilicet conveniat historiae dictum est, de brevitate similiter ac celeritate, quarum altera est historiae commendatrix, altera locupletat eam atque magnificat. Itaque plura de re has loqui praecipientis est velle personam assumere. Quocirca ne mihi sit cum grammaticae patrocinatoribus contentio posthac ulla, finem dicendi facio meque a promisso absolvo, quando factum est a me, ut arbitror, satis promisso et fortasse amplius quam iudicari possit esse promissum.

Pud. Et promissis a te satisfactum, Altili, confitemur omnes et disserendis iis incredibili voluptate nos affecisti, dum rem sparsam ac passim iactatam colligis collectamque ordine suo suaque regula ac loge sic componis, ut si qui posthac redacturi ea sint in praecepta, facile quidem praestituri id videantur. Nec his contentus laudes quoque historiae addidisti et quam ea sit utilis mortalium generi multa cum gravitate docuisti et copia. Coeterum nesciam volensne an negligens praeterieris ea quae ad scribendas magnorum virorum vitas spectant, quo in genere historiae Graece Latineque versati sunt permulti.

ALT. Atqui, Puderice, de toto et integro nos historiae corpore locuti, non de parte sumus, quae et ipsa ad totius imaginem componi pro natura sua potest. Itaque ut pauca quaedam in hoc quoque genere scribendi tradamus, quod ipsum demonstrativum est genus (nam qui vitam alicuius scribit in locos nunc laudis nunc vituperationis incidit, cuius rei monitum fecisse eum satis est), tria cum primis servanda censemus: ut scriptio ipsa sit brevis, sit diligens atque etiam gravis; adde, si placet, et quartum, ut sit ea quam maxime quoque elegans.

Brevitas autem erit talis, ut rerum summas paucis complectatur; diligentia tanta, ut, nihil omittat quod iudicetur memoratu dignum; gravitas item ea quae addat explicationi ac dictis pondus quaeque et auctorem rerum et scriptorem commendet. Nam praeter veritatem nihil potest esse commendabile. Quid, obsecro, tam est adversum quam vanitas historiae, quae vitae magistra esse dicitur? Elegantiam iccirco dicendi maximam hac praesertim in parte exigimus, quod haec ipsa scribendi pars permultis sit aliis laudibus ac virtutibus caritura. Itaque compensetur utique elegantia quod deerit do culto coeteroque splendore; cuius rei Caesar gravissimus esse potest et testis et monitor; de cuius commentariis etsi multa in exemplum adduci a nobis poterant, tamen scribendi genus historicum ex omni parte minime complexes est Caesar, quippe qui materiam et praebere et relinquere maluerit aliis de se scribendi. Et qui pictor aut statuarius imaginem facturus est quae totius referat corporis pulchritudinem, nimirum pulcherimi cuiusque viri speciem sibi in exemplum assumit; non eius qui parte tantum praecellat aliqua, sed qui omnibus. Nam quanquam et Tacitus et Curtius abunde sunt laudibus ac virtutibus ornati suis, laus tamen omnis Latinae historiae penes duos putatur existere diversoque in dicendi genere, Livium ac Sallustium. Ad haec iniquitas temporum Trogum nobis omnino abstulit, et Curtium ac Tacitum quasi mutilatas videmus statuas, licetque suspicari potius ac coniicere quam omnino de iis iudicium aliquod absolutum ac certum tradere. Quid quod noster paulo ante Actius uno fuit ubique fere contentus Virgilio? Videlicet quod ab optimo quoque suo in genere quaerenda est semper auctoritas. Quod autem, sicuti ex oculis ne vultu coniicio, Prassicius hic noster dicere paratus est aliquid officiumque absolutum est meum, dicat pro arbitrio vir et in poetica et in oratoria

maxime exercitatus depromatque de pectore apprime foecundo dignum  
aliiquid seque et hoc ipso consessu, ut menus et ipse quoque  
suum adimpleat.

Pud. Atqui et ordo lexque ipsa sessionis huius id ipsum exigit  
et nos omnes non istud ipsum modo petimus, verum etiam rogamus  
atque exposcimus.

Paul. Evidem ex iis quae acute, graviter eruditique ab Altilio  
sunt de lege historiae dicta quaeque ante Syncerus poeticis  
de numeris, ipse vero Altilius de verbis nuper atque ornamentis disseruit  
magis magisque incendor ad pervestigandum poeticae finem,  
quem ex ore Senis nostri esse Syncerus initio retulit bene atque

[Page 232]

apposite dicere ad admirationem comparandam. Convertor autem  
ad te, Parde, potissimum, quem dicendi labor non adeo ut hos ipsos  
delassavit, audientiam primo abs te exposceas, deinde sententiam  
in his quoque requirens tuam.

Pard. Et audientem me perque intentum in dicendo habebis,  
et paratum etiam respondere ad ea quae ex me intelligere ipse voles  
aut quid ipse sentiam aperire, si opinionem fortasse meam tentando  
sciscitareris.

PAUL. Principio quod Cicero aiat firtitinnim esse oratori poetam,  
duo, ut mihi videtur, cur in eam sententiam venerit omnino illum  
movere: et quod uterque versatur in dicendo et quod utriusque  
communes sunt laudationes, quod demonstrativum genus dicitur,  
tametsi et deliberationes quoque; apud poetas enim tot deorum  
concilia consultationesque nonne hoc nobis palam faciunt? Habent  
igitur tum laudationes tum deliberationes inter se communes, bene  
item et consummate dicere, suo uterque in genere dicendi, cum alter  
solutus incedat atque promissus; alter astriclus numeris ac pedibus  
certa lege coercitis. Quin verba quoque et ipsa sunt inter eos communia;  
verum alterius digna foro ac senatu quaeque gravitatem  
satis est uti sequantur retineantque dignitatem, alterius quae magnificantiam,  
altitudinem excellentiamque quasi quandam ostentent.

Neque enim gravitas comparandae admirationi satis est sola,  
ni magnificantia accesserit excellentiaque et verborum et rerum,  
utque ego arbitror, hoc illud est quod ait Horatius:

«mediocribus esse poetis  
Non homines, non dii, non concessere columnae»,

cum oporteat eos suo in genere excellere neque aliter digni eo nomine  
videantur. Hoc etiam est et illud quod a Cicerone dicitur singulis  
vix seculis bonum poetam inventum. Perrara namque omnis est  
excellentia, quodque oratori satis est bene dicere atque apposite,  
id oportet in poeta sit ut excellenter. Ac tametsi oratoris quoque  
est aliquando et magnifice et excellenter, tamen id non ubique,  
neque semper cum poetae hoc ipsum ubique suum sit ac peculiare,  
etiam cum in minutissimis atque humilibus versatur rebus, siquidem  
necessa est et minutissimis et humilibus describendis rebus  
appareat etiam eius excellentia. Nam et quae fuit naturae excellentia

[Page 233]

creando in homine, eadem nec minor pro specie illarum ac forma  
in apibus atque formicis fuit.  
Utriusque etiam, oratoris ac poetae officium est movere et flectere  
auditorem; verum quoniam, quo, inquam, haec et commotio  
et flexio et maximum utriusque in hoc ipso studium? Oratoris scilicet  
ut persuadeat iudici, poetae ut admirationem sibi ex audiente  
ac legente comparet, cum ille pro victoria nitatur, hic pro fama et  
gloria, quae videtur sola ac maxime ab hoc scriptorum genere quaeri.  
Et orator quidem ubi minime persuaserit, potest fine suo contentus  
esse, quod bene, quod apposite, quod consummate dixerit in causa;  
at poeta fine omnino defraudabitur suo nisi in audientis ac legentis  
animo pepererit infixeritque admirationem, per quam sit famam venerationemque  
assecururus. Nec vero audientem aut legentem eum  
nos intelligi volumus cui sit admirationi Bavius aut Maximianus,  
sed cui magnam quoque mentem Delius inspiraverit vates; vix

enim de bono poeta, nisi et ipse auditor bonus poeta fuerit, iudicare recte potest. Tametsi nescio quomodo a natura ipsa instituti nonnulli, alii in musicis, alii in pictura, in poeticis alii, neque poetae tamen ipsi neque pictores aut musicam professi, bonum quid in ea sit arte sentiunt; optimum vero sentire haud poterit nisi quem ars quoque cum natura ipsa ingeniosum pariter atque solerter fecerint. Quocirca mediocritas illa quae in rebus plerisque omnibus conceditur poetae omnino adversatur eique minime est concessa; nisi forte dicendi excellentia et magnificentia illa sit vocanda mediocritas in genere dicendi poetico, quando excellentia dicendi in poeta ut vacua esse debet inflatione atque intumescentia, sic nullo debet modo de grado suo deiici. Quid? quod oratorem, multitudinis praesertim impleturum aures aut unius iudicis aut paucorum admodum, multae illum adiuvare res possunt; at poeta solis excellentibus ingenioque excellenti praeditis sola et una cum excellentia potest satisfacere. Quocirca coniunctus et ipse ratione hac historico est, quod lectoribus iisque litteratissimis viris, non iudici scribit aut multitudini. His itaque permotus Senis nostri sententiae accedo poetae sive finem sive officium esse bene atque excellenter loqui ad admirationem. Quod si, Parde, probaveris (nam Syncerum id probaturum testificari ea possunt quae in initio dissertationis suae attigit). Altilium sat scio, qua est observantia in Senem et cultu, minime dissensurum.

Pard. Visus es mihi, Prassici, probandis poeticis his non minus quam ex Aristotelica disciplina, ex ipsa etiam rei natura esse locutus,

[Page 234]

et quod multa sunt oratori et poetae communia et quod in non paucis etiam differant inter se. De fine vero officioque poetae si quis aliter sentiat, meo iudicio invide magis quam vere sentire videbitur, dum quod poetae ipsi gloriantur se tantum quaerere, nomen scilicet ac famam, invidere illis et pretium et laborum tantorum summam volunt; et quod in oratore exigitur bene et consummate, id in poeta esse debere excellenter, id profecto mihi et verissime et appositissime a te dictum videtur. Nam, te obsecro per Musas ipsas perque tantopere a nostro cultam Sene Uraniam, quid nisi admiratio, quid, inquam, nisi una et sola admiratio quaeritur ex magnificis illis et maxime numerosis verbis dictisque:

«*Dicam horrida bella,  
Dicam acies actosque animis in funera reges  
Tyrrhenamque manum totamque sub arma coactam  
Hesperiam. Maior rerum mihi nascitur ordo,  
Maius opus moveo*»?

Quid cum:

«*stabuli de culmine summo  
Pastorale canit signum, cornuque recurvo  
Tartaream intendit vocem, qua protinus omne  
Contremuit nemus et silvae intonuere profundae;  
Audit et Triviae longe lacus, audiit amnis  
Sulfurea Nar albus aqua fontesque Velini*»?

Quid amplius:

«*Et trepidae matres pressere ad pectora natos*»?  
Quo, quaeso, et res et verba tanta cum industria et arte inventa et posita nisi ad movendam spectant admirationem?  
Quo inquam et illa:

«*assum dirarum a sede sororum,  
Bella manu letumque gero*».

Et:

«*Olli somnum ingens rupit pavor*»?

Itaque non verbis modo magnificis, sed rebus quoque et inventis excellenter et expressis admiratio a poetis quaeritur, ut, cum poetica sicut historia constet rebus ac verbis, his utrisque poeta ad

[Page 235]

admirationem conciliandam non utatur modo, verum etiam innitatur. Quamobrem, quod veritas praestare hoc sola minus posset, veritatem nunc inumbrant fictis fabulosisque commentis, nunc ea comminiscuntur quae omnino abhorreant a vero atque a rerum natura, ut cum:

«*fit tortile collo  
Aurum ingens coluber*»,

et:

«*Virginei volucrum vultus*»,

et:

«*Tertia sed postquamm maiore hastilia nisu  
Aggregdior*».

Itaque quae a te, Prassici, in tota hac quaestione dicta et disputata sunt, omni e parte a me ac summopere etiam probantur, et, cum de admiratione loquamur, ne discedamus a cognatis verbis, mirifice etiam probantur. Quocirca perge ad reliqua. Paul. Quaeri autem ab illis admirationem, hoc est approbationem et plausum quasi quandam eorum quae dicantur cum animorum admiratione illorum qui audiunt et qui legunt, quae a te delibata sunt, Parde, duo illa, potissimum docent, et res et verba: siquidem neque res ipsae quales gestae sunt perindo atque ab historicis narrantur neque poetae ipsi verbis semper agunt usitatis ac simplicibus; nam et rebus gestis ornatum aliunde et magnitudinem et decorem ubique fere arcessunt a figuris videlicet; ut cum scripturus esset Virgilius navium Aeneae concrenationem, finxit ea quae leguntur sto Cybele, de love, de navium conversione in nymphas:

«*cum virgineae, mirabile monstrum,  
Reddunt se totidem facies pontoque feruntur*».

Quo enim maiora atque admirabiliora quae ab ipsis dicuntur apparent, humana ad deos transferunt, fingunt monstra, mittunt insomnia, deos denique in homines vertunt. Comparationes quoque, quibus frequentissime utuntur, non magis ad docendun atque illustrandum pertinent quam ad movendam admirationem. Quid, obsecro, sibi vult aliud Cupido in Ascanium? quid Mercurius totiens a coelo in terras missus, nisi ut qui legunt admiratione impleantur?

[Page 236]

Parum profecto, parum erat utique Maroni tempestatem describere, quae per se ipsa magna quidem erat atque horribilis, sed lunonis ad Aeolum, sed Aeoli ad lunonem allocutiones admirabilem multo maxime eam faciunt, ventorum ipsorum Deo illam exciente. Itaque intonantur magis quam dicuntur illa:

*«cavum conversa cuspide montem  
Impulit in latus, ac venti, velut agmine facto,  
Qua data porta, ruunt et terras turbine perflant».*

Quid excogitatus ad conciliandam admirationem? Re autem vera Aeneas a Lacinio, Calabriae promontorio, sacris Iunoni rite prius persolutis, solvens, quo praeterita Sicilia ad oras Latinorum classem appelleret, fuit a tempestatisbus Drepanum perlatus; videte, obsecro, quibus veritatem commentis concinnaverit, quo admirabiliora cuncta redderet. Verba autem ipsa poetae quique vere dicuntur poetae non solum simul compangunt aut ea novant, ut «*mare velivolum*», ut «*silvas comantes*», horum ipsorum quae nunc a me dicuntur gratia, verum ea transferunt, nec verba tantum, sed orationem persaepe omnem. Quin etiam et excessum et superlationem iis persaepe adiiciunt a natura penitus recedentes, ut:  
*«praeruptus aquae mons»*,  
et:  
*«vastos tollunt ad sidera fluctus»*,  
et:

*«Tollimur in coelum sullato gurgite et iidem  
Subducta ad Manes imos descendimus unda».*

Nec vero tenorem hunc comparandae admirationis in gravioribus ac seriis tantum servant rebus, verum in iis quoque in quibus lectorum atque auditorum delectatio voluptasque sola quaeritur, ut:

*«Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem  
Spiravere»,*

et:

*«fotum gremio Dea tollit in altos  
Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum  
Floribus et dulci aspirans complectitur umbra».*

[Page 237]

Singulis pene e verbis Venerisque e gestibus gignitur virtus haec de qua nobis est nunc quaestio, quam et in docendo et in movendo nec minus in delectando assequi poetae omni arte studioque contendunt. Tu vero quid ad haec, Parde? nam et gravitatem hic tuam et iudicandi pondus requirimus.  
PARD. Ego quidem, Paule Prassici, censeo te assecutum quod disputation hac quaeris, ipsis et rationibus et exemplis, quae duo non in disciplinis modo, verum etiam in vita agenda moribusque probandis et laudis et testificationis secum vim auctoritatemque omnem ferunt. Coeterum, quoniam a Syncero de poetis sermo coepit, ut ab eo quoque desinat, reliqua si qua sunt, ab illo potius sciscitare. Quin, ut video surrexisse eum iam, interrogandi te labore liberabit.  
ACT. Evidem, Parde, dicenti Paulo sic assentior, ut semper existimaverim in quacunque ad dicendum suscepta materia atque in dicendi quoque genere magnitudinem sullimitatemque ipsam poetae esse propriam, nunquam mediocritate contentam, quod Virgilii agricultura docere plane potest; utque implere generosos illos spiritus quacunque ratione poetae valeant, coelestes etiam res mortalium rebus inseruisse eos refersisseque carmen suum commentis atque fabulis, quibus ipsa sullimitas ad summum usque, hoc est ad admirationem incresceret; hocque illud esso quod paulo ante dicebatur, alia quadam lingua locutos. Nam cum oratoriae sit mediocritas aequabilitasque illa quidem dicendi, si quando magnitudinem

assumptura est aliquam, per poeticae vagatur atque exultat campos,  
ut cognatae facultatis sibique finitiae; qua in re Cicero e nostris  
eminuit. Nam historia, ubi magnifica esse vult, ubi heroica videri  
ac grandis, et figuræ et verba de poetis mutuatur. Qua de re multa  
et eruditio et graviter disseruisse mihi visi estis. Coeterum tanta  
rerum arcessitarum copia, tantus etiam verborum ornatus, tanta  
et rerum et verborum sullimitas ut desit necesse est, implendae  
tubae cantuque Maeonio, ni fabulosa commenta affatim ea suppedent  
verbaque fabulosis apta rebus illisque explicandis idonea.

Hinc:

«*Aeris in campis latis*».

Hinc:

«*cavum conversa cuspide montem*»;  
«*At tuba terribilem sonitum procul aere canoro*  
*Intonuit*».

[Page 238]

non audientibus nobis illa capillus ipsoe surrigitur animusque  
concutitur et pene horrescit?

«*At iuveni oranti subito tremor occupat artus,*  
*Diriguere oculi: tot Erinnys sibilat hydris,*  
*Tantaque se facies aperit; tum flammea torquens*  
*Lumina cunctantem et quaerentem dicere plura*  
*Reppulit et geminos erexit crinibus angues*  
*Verberaque insonuit*».

Itaque dum poetae haec ipsa et fingunt et ficta suaviter, magnifice  
admirabiliterque loquuntur, alios ipsi eloqui docuere. Nam  
imitati eos postea qui causas egere, qui in senatu de capiendis consiliis  
disseruere, qui res fiestas memoriae mandavere, eloquentiam  
perfecerunt solutam illam ac vagantem. Quo fit ut omne dicendi  
genus a poetica manaverit. Nam et primi doctorum omnium cum  
extiterint poetae, omnia quoque carmine ac numeris sunt complexi  
testisque horum omnium est Homerus, qui quantum ubique dicendo  
valeat et suspiciunt docti et admirantur indocti. Ab hoc philosophi,  
ab hoc physici, ab hoc et rhetores facultatis suaे praecepta et aucupati  
sunt et auspicati. Solon quas Atheniensibus tradebat leges carmine  
auspicatus legitur; cumque ipse stultitiam simulasset, legendis  
ac recitandis in publico versibus quos de Salamine bello revindicanda  
scriperat, Pisistrato optimatibusque omnibus collaudantibus,  
cives traxit ad abdicandam legem quae populi totius suffragio constituta  
fuerat, ne cui unquam de ea re mentionem facere liceret  
neve ad populum ferro idque capitale esse. Itaque et decretum factum  
est et Solon ipse belli dux delectus; tantum carmine illo suo valuit.  
Romanorum rex Numa, versibus a se de diis deque deorum rebus  
compositis iisque in sacris publicis ac ludis rite decantatis, ferocissimam  
gentem, dum id assiduus agit, ad mores humaniores transtulit  
cultumque Dei maiorem.  
Aperuit rerum naturam generi hominem carmine suo Empedocles,  
sideralis disciplinae Dorotheus Sidonius, quos Latine imitati  
Lucretius ac Manilius, Christe optime, quid copiae, quid ornatus,  
quantus e clarissimis luminibus eius emicat in altero splendor! Rapit  
quo vult lectorem, probat ad quod intendit, summa cum subtilitate  
et artificio, hortatur, deterret, incitat, retrahit, domum omnia,  
cum magnitudine, ubi opus est atque decoro, et hac de qua disputatum  
est admiratione, ut expurgatis rudioribus illis vetustatis

[Page 239]

numeris, quibus postea Virgilius Romanam illustravit poeticam,  
nihil omnino defuisse videatur. Alteri vero in astronomicis, si quid  
ornatus poeticoque defuit decori, additum nuper ac suffectum a  
nostro est Sene. De cuius Urania, ut arbitror, iudicabunt posteri  
fortasse liberius, quod, certo scio, de ea sentient minus invidenter.

Quibus igitur verbis aut quonam ore gestuque assurgemus Poeticae?  
quae princeps de Deo et disseruit et eius laudes cecinit, instituitque  
sacra, unde primi poetae sacerdotes votati, verbisque eum placavit  
et cantibus, docuitque habere rerum humanarum curam, benigneque  
cum probis agere, excandescenter cum improbis. Haec  
prima excitavit ad virtutem homines, dum animae immortalitatem  
profitetur, haec e terris piorum animos in coelum devexit, impiorum  
detrusit in Tartara; haec bonis tandem praemia retribuit,  
malos poenis postremisque insecura est cruciatibus. Salve igitur.  
doctrinarum omnium mater foecundissima; salve iterum! Tu enim  
mortalitati occurristi inventorum ac scriptorum tuorum perpetuitate;  
tu e silvis homines eruisti atque e speluncis. Per te noscimus,  
per te praeterita ante oculos cernimus, per te Deum sapimus religionemque  
retinemus ne pietatem Deoque ipsi accepti supernam  
etiam in sedem ab eo evocamur arasque cum ipse meremur et templa.  
PUD. Peregriegie quidem, Acti, et pie et sancte, imo et recte admodum,  
ut, sicuti a religione sermo coepit tuus, in religione quoque  
idem desinat, quodque fervor perfractus est iam canicularis vocamurque  
familiaribus a negociis, solventes conventum hunc, et fe liciter  
abeamus et recte valeamus omnes.

FINIS.

[Home](#)

*Iohannes lovianus Pontanus. Date: 2018-08-01*